TRACTATUS DE VI ET POTESTATE LEGUM HUMANARUM IN TRES PARTES DISSECTUS...

Claude : de Carnin, Giovanni Battista Coccini, Andrea Biscioni

TRACTATVS
DE VI ET POTESTATE
LEGVM HVMANARVM
IN TRES PARTES DISSECTVS.

QVARVM
- *Prima, vniuersim de legum tam Ecclesiasticarum, quam ciuilium, ad mortale peccatum obligatione, differitur.*
- *Secunda, Legum pœnalium obligandi vis, discutitur.*
- *Tertia, de obligatione Legum tributariarum disceptatur.*

AD PERILLVSTREM

Dominum D. NICOLAVM A MONTMORENCY, Baronem de Haueskerke, Toparcham Vandegiæ, Pameliæ, Oppidi Stegriaci, Berquinij, &c. Equitem auratum, quondam REGIS HISPANIARVM CATHOLICI Palatinum, nunc SERENISSIMORVM ARCHIDVCVM Belgicæ Principum, ærarij Summum Præfectum. &c.

Authore CLAVDIO CARNINO, *Theologo & Iurecconsulto, in Æde D. Petri Duaci Catuacorum, Canonico & Parocho.*

DVACI CATVACORVM,
Apud LAVRENTIVM KELLAM Typog. iurat.
ad insigne Agni Paschalis viâ Iacobæâ.

M. D. C. VIII.

Cum priuilegio.

APPROBATIO.

Hic tractatus De vi & poteſtate Legum humanarum, *Auctore V. viro Domino Claudio Carnino Theologo ac Jureconſulto, copioſè & ſolidè, ſuam humanis legibus, tam Eccleſiaſticis quam ciuilibus, auctoritatem aſſerit ac tuetur. Jdeo eum dignum cenſeo, qui prælo excudatur. Actum Duaci 16. Martij. 1607.*

Georgius Coluenerius, S. Theologiæ Licentiatus & profeſſor, ac librorum in Academia Duacena viſitator.

PRIVILEGII SVMMA.

CONCESSVM eſt diplomate Sereniſſimorũ Archiducum, CLAVDIO CARNINO, in Eccleſia D. Petri Duaci Canonico & Parocho, vt librum, cui titulꝰ eſt, *De vi & poteſtate Legum humanarum*, typis excudendum Laurentio Kellamo Typographo iurato tradere poſſit. Interdictum quoque eſt nequis Typographus aut bibliopola, eundem librum imprimat, aut impreſſum vendat aut diſtrahat, infra ſexennium, citra conſenſum eiuſdem Claud. Carnini, ſub pœnis grauibus contentis eodem diplomate, dato Bruxellis 23. Maij. Anno. 1607.

PERILLVSTRI DOMINO

D. NICOLAO A MONTMORENCY,

BARONI DE HAVESKERKE, TOPARCHÆ VANDEGIÆ, PAMELIÆ, OPPIDI STEGRIACI, BERQVINII &c. EQVITI AVRATO

Quondam Regis Hispaniarum Palatino, Nunc Serenissimorum Archiducum Belgicæ Principum, ærarij Summo Prefecto &c.

QVI *in nauigando ad clauum sedent*, VIR GENEROSISSIME, *eos oportet ventis, procellis, & tempestatibus quadantenus obsecundare, vt pro ratione eorum vniuscuiusque nautica arte vtātur. quod ego mihi in regimine animarum, annis ab hinc plus minus vndeuiginti, meæ fidei commissarum, imitandum perpetuo censui, vt secundum fluctus, motus, & turbines nostri æui, legitimas potestates fastidientis, exindeque ad damnabilem libertatem, seu potius licentiam prauam aspirantis, docendi rationem moderari & attemperare niterer. Et hoc quidem facere studui, opportunè, importunè arguendo, obsecrando, frequentibus ad populum concionibus, nec raris ad Academicos auditores declamationibus. Ad quam etiam rem nonnulla concinnaui opuscula, quibus debita secundum Deum, Ecclesiæ, Regibus, Principibus, alijsq; in potestate constitutis, obedi-*

entia, aſſeritur, vindicatur, & propugnatur. Quo in genere eſt tractatus hic, De vi poteſtate, & obligatione legum humanarum : *non modo contra hæreticos prorſus exleges, ſed etiam contra molliores catholicos doctores; qui prætermiſſa longè veriore, ſolidiore, & tutiore doctrina, legum iſtiuſmodi vincula non ſine periculo conſcientiarum, damnoq́ue pacis & ſalutis publicæ, plus nimiò laxare, ne dicam luxare videntur.*

Porrò quærenti mihi diu multumq́ue & anxie, huic rudiori fœtui, varia hominum iudicia forſitan ſubituro, Patronum & Mecœnatem aliquem, Tu mihi occuriſti Domine Generoſiſſime, *ſed cum pauore & reuerentia ſublimis loci & gradus, quem in Repb. tenes; necnon excellentis in Te doctrinæ ciuilis, quã hic profiteri videor. Quem quidem pauorem auget non modice illuſtris & perantiquæ familiæ veſtræ ſplendor. Genus namque* Montmorenciadûm *quis ignorat, adeo ſtemmatum vetuſtate clarum, nobilitate coruſcũ, præclarorum in Rempb. meritorum fama & hiſtorijs decantatum, perrara in Principes ſuos fide conſpicuum, vt his omnibus cum quibuſlibet nobiliſſimis & antiquiſſimis Europæ familijs certare poſſit? maxime ſi de fide & religione catholica loquamur: quam indubitatum eſt amplexos maiores veſtros, iam inde à ſeculo, temporibus Apoſtolorum proximo, ſub Sancto nempe Dionyſio, qui Liſbium Libycum ad fidem noſtram conuerterat, vti vetuſtiſſimorum monumẽtorum fide teſtatum eſt. Narrat ſiquidem*

Paulus Æmi. lib. 5. de reb. geſt. Frãc. non longe ab initio. Vide legẽdam, magnam S. Dionyſij Item Areo-

vetus

vetus historia Larciam eiusdem Lisbii coniugem, magno comitatu, Præsidem adiisse Romanum conquesturam, quod ille maritum Lisbium suis carminibus & incantamentis (sic illa loquebatur) ad christianorum sectam pertraxisset. Quæ causa extitit cur Tyrannus, Lisbio confestim ad supplicium rapto, priusquam Dionysio ceruicem amputari imperauerit. Eadem nihilominus Larcia paulo post eiusdem Dionisii obitum grauiter facti pœnitens, religionem quàm prius execrata fuerat, amplexa est: & ita quidē amplexa vt ob illius cōfeßionem facta sit marito consors gloriosi martyrii. Horum filius & hæres tum familiæ, tum virtutis, nomine Visbius (nominant alii nomine patris sui Lisbium) cum arte militari, doctrinæ, & pietatis studium coniunxit. Nam post obitum parentum, cum ob generis & indolis nobilitatem a Sisinnio ad Traianum abductus esset, in eius & duorum insequentium Cęsarum familia & comitatu vixit & militauit, donec Beato Masso Parisiensis Ecclesię Pontifice tertio post Dionisyum Archiepiscopum, regenerandus & mundo renunciaturus in patriam redire permissus est, inquit Galenus. Plus quiddam sonat Hilduinus, omnibus ait quæ sunt in mundo relictis, baptizatus, & religiosorū, Christique pauperum numero sociatus est. Adeo ille licet in familia & comitatu Principum infidelium agens, altas iecerat pietatis radices. Eundem autem haud vulgariter literatum extitisse, illud fidem indubiam facit quod idem Hilduinus in suis Areopagiticis (nostra ætate opera eius-

pagitica Hilduini ab annis plus minus octingentis conscripta. Itē præfationē Matth. Galeni cancellarij Academiæ Duacensis in illa.

 dem

dem Galeni ex tenebris in lucem erutis, historiam B. Dionysij & sociorum, necnon parentum Lisbij & Larcię martyrum, ita narret conscripsisse vt eam conscriptionem cęteris omnibus de eadem re monumentis magnopere praeferat. Sunt qui existiment memoratum Lisbium a Lybiae regibus oriundum, a Romanis cum sua gente in Gallias traductum. O faelicia igitur praeclaraq; vestrę prosapiae initia, non modo vtriusque armatae pariter & togatae militiae prisco stemmate nobilitata, verumetiam a primordio christianae rei sanguine auorũ in causa fidei saepius fuso, nobiliter sanctéque purpurata; vt mirum non sit posteros deinceps eandem fidem, contra Mauros, Saracenos, aliosque barbaros Christi nominis hostes, cum sui pariter & suorum sanguinis effusione, generose semper tutatos fuisse, indeque postmodum in hanc vsque diem in medio nationis haereticae, inconcussam & illibatam semper conseruasse, conseruatam religiosissime coluisse, & amplificauisse. Quae dum dico, loquor de familia vestra & stirpe, non de cognomine, quod ei noua virtutis industria postmodum peperit. Nec enim me fugit, Montmorenciorum cognomentum, sexcentis demum annis post Dionysij aetatem exortum fuisse, aetate nimirum Caroli Martelli, quo tempore Guido Blondus (qui de vestra familia extitit) in memorabili illo praelio iuxta Narbonam commisso, (in quo testis est Paulus Æmil. trecenta septuaginta quinque millia barbarorum cecidisse) vnus ex primarijs ducibus fuit, qui Regem Amorreum ducem

Ioann. feron. in suo catalogo Illustriss. Du. & Cõnestab. &c. pa. 23. dum agit de Matth. Montmorencio.

ducem tum Maurorum tum Saracenorum exercitus, neci dedit. In cuius sūme illustris victoriæ (a qua salus Reipub. Christianæ pendebat) monimentum, castrum non procul a Parisijs extruxisse memoratur, credo in fundo patrimonij sui (nam Lisbius prope Parisios dominium & domicilium habuit) cum inscriptione aut insculptione multiplici, hac Mons Mauri *occisi, unde vulgus formauit* Montmorency. *Suffragatur his, mirificeque commendat vestræ stirpis, fidei tum vetustatem, tum undequaq; immotam firmitatem elogium eiusdem vetus & græcum,* aplanos *quod erroris expers reddi potest, & multo magis aliud sermone patrio, quod illi in antiquis aulæis sociari solet,* Dieu aide au premier chrestien, *hoc est Deus primogenio christiano auxiliatur & fauet. Unde siquis Galliæ annales vetustissimos, omnemque mortalium memoriam excedentes peruoluat, duabus rebus tanquam gemmis summe rutilantibus, familiam vestrā radiantem cernet, quod & in eo regno prima vexillum crucis sit sequuta, & primatum inter eiusdem regni proceres (antiquitas Barones appellabat) ab omni æuo retinuerit.* Ægid. coro. in suo thesauro histo. Franc.

Adeo autem edax illa rerum & inuidiosa vetustas, de tanta gloria gentis decerpsit nihil, ut etiam hodie cernere sit in Francia, potentissimū & illustrissimū eiusdē vestræ familiæ ornamentum Henricum Montmorency Ducem, & regni Connestabilem, *magni illius & inclyti* Annæ Ducis *itidem &* Connestabilis *filium, cernere*

sit

sit inquam hunc Heroem, religione, armis, fideque in patriam, instar fulgentissimi syderis alicuius illam collustrare, in diesque magis ac magis splendidam reddere. Illius sane magni & inclyti Ducis & Connestabilis Annę Montmorency, *visitur Parisijs in monasterio & Ecclesia Cælestiuorum epitaphium argumento memorabile ac pene inauditum, hicque minime prætereundum. Id in Pyramide subilmi in aes incisum est trifariam, soluta oratione, carmine latio, & patrio, quod merito subditos omnes, & maxime viros generis claritate illustres, exuscitare & acuere debet, vt Principes suos, amore, beneuolentia, officijs & obsequijs demereri satagant.* Prosa igitur sic habet.

D. O. M. S.

Siste parum & audi viator, in Anna Duce Montmorancio *tanta fuit rei militaris scientia, & in tractandis & explicandis negocijs vigilantia, vt paulatim tanquam per scalarum gradus virtutis ergo ascensum sibi ad honoris altissimum gradum parauerit. Quem dum vixit tenuit honorificentissime, cum* Henrici. 2. regis potentissimi *approbatione maxima, qui eamipsam amplissimam, quam a rege Francisco Præconsequutus erat Annas dignitatem, augere si potuisset cogitabat, vt incomparabilem & pene inauditum suum erga clarissimum virum amorem declararet, eum etsi plerique Principes viri imminuere quibus poterant artificijs conarentur, auxerat tamen obtrectatio amorẽ, vt nihil penitus de iure publico aut priuato statueret,*

quod

quod Annæ non probaretur, vt iam vnum animum in duobus corporibus facile cerneres, quæ voluntatum & animorum summa coniunctio vt posteris monumento innotesceret memorabili, voluit Henricus amborum corda in eadem iacere æde. Igitur consentientibus Carolo 9. & Catherina Regina matre eius, Beatissima fœmina. Magdalena coniux & Franciscus filius mœrentes. PP.

Nec minus interim inter belgas fulgent Montmorencyorum aquilæ. Siquidem, vt vetustioribus recensendis supersedeam, recentissima memoria vidimus sub Carolo. V. Imperatore, eiusque filio Philippo Regibus Hispaniarum Catholicis, infra spacium quadriemij quatuor Montmorencyos aurei velleris equites creatos, è quibus quatuor, vnus Hornæ Comes id præterea honoris consecutus est, vt rei maritimę, & excubitorum regiorum præfectura exornaretur, Alius Florentius D. de Montigni in Obstrebanto Toparcha, Tornaci & Tornacesij administrationem adipisceretur, Tertius Philippus Montmorencyus D. de Hacicourt, principalis ærarij cura cohonestaretur, Quartus Ioannes Montmorencyus D. de Courieres Flādrię gallicanę gubernaculis admoueretut, quē etiā cōstat paulo ante amplissima longeq; honoratissima legatione perfunctū, dum vna cū Principe Egmūdano & Comite Lalano in Angliam missus est, vt sponsalibus inter eundem Regem Catholicum Philippum, & Mariam Angliæ Reginam contrahendis interesset.

Anno 1550
Anno 1554

ē Ne

Maierus in Anna. Fland.

Ne taceam hic maternum tuum genus, Villanorum nomen historijs omnium temporum pariter passim deprædicatum, non postulat sed efflagitat. Villanos à Gandensibus Vicecomitibus, siue Castellanis hereditarijs ex eodem nempe stemmate, & antiquius a Saxoniæ Principibus oriundos, & veteres historiæ, & monumenta domestica commonstrant. Eluxit in ea domo, mirifice iam olim anno 1325. Hector Villanus, virtutis bellicæ illius Hectoris omnium Troianorum fortissimi, & quo sospite Troia numquam expugnari potuit, reipsa si non consilio æmulus, in bello tum inter Gandenses & Brugenses, tum inter Scotos & Anglos nominatissimus. Claruit item anno 1421. Ioannis Villani robur & virtus, qui eo die quo equestri dignitate donatus est, in prælio Vimiacensi insidens equo, primo congressu vbi maxima pressura erat, maximam securim ferens manibus, relicto freno sui equi, tantis ictibus hostes aggressus est, vt quoscunque attingeret, in terram exanimes daret. Vt omittam quod duobus in præliis, Philippum Burgundiæ Ducem *Principem suum, à periculo mortis exemit. Floruit denique plurimum nostra ætate auunculus ille tuus, virtutis laude, eoque nomine Principi suo Regi Catholico longe gratissimus, charissimusq;,* D. Maximilianus Villanus, *Isenguenij Comes, Rasenguenij Baro, Summus Financiarum Præfectus* Flandrięq; Gallicanæ Gubernator. *Quibus consentanee, cum Gentilibus eiusdem familiæ imaginibus scriptum legimus hoc elogium.*

Spiecian. in descript. Belg. expressis verbis.

Villain

Villain sans reproche, *quod latine sonat, Villanus inculpatus, vt sit, Budæo viro vndequaque doctissimo teste, nomen honoris, secus quam inscititia loquentium existimare posset.* Vide Budæum in Pandect.

Hodie vero quasi hereditario iure tum virtutis, tũ gloria vtriusq; stirpis, Te Nobilissime Baro, *non legimus, audimus, aut aliunde accepimus, sed oculis cernimus, & quidem gratulabunde, & nostro & totius patriæ gaudio & applausu cerminus, in eum locum Tui illius gentilis* Philippi Montmorency, necnon & Maxiliani Villani auunculi tui Præfecturæ Ærarij Principis, *successisse, in eoque ea prudentia, fide, æquitate, Te gerere vt non dubiam spem concipiat ipsa patria, numerosas illas* Montmorencyadum Aquilas *in sexdecim vexillis hostium fidei, ad pedes* Mathei Montmorencij *quondam stratis, deletis, & intercionem redactis, amplificatas, Tuis heroicis virtutibus magis magisq; in dies nobilitandas & illustrandas. Sed fortassis illud mihi obiectum ibis. Genus & proauos & quæ non fecimus ipsi vix ea nostra voco. Sit ita sane, si tibi sic visum est. Da igitur veniam, quamuis renitente tua modestia consueta, in gratiam tibi longe charissimæ Reipb. cuius maximopere interest Clarorum virorum maxime dignitate aut potestate publica eminentium, laudibus non offundi tenebras; ignosce inquam si in paucula Tibi cum paucis (in tuo præsertim ordine) communia, digitum dumtaxat intendero.* Eccli. 44. in verbo potesta.

De doctrina igitur tua varia & praestanti quid loquar? Cum enim iam inde a puero litterarum extiteris studiosissimus, & aetate progressus, summa industria, ingenio faelici, iudicio acri, maturo semper & graui ea studia colueris, quae viros formant, Principibus suis & Reipb. vsui futuros, vsus etiam sis consuetudine praestantissimorum tum Philosophorum, tum Jureconsultorum, non contentus eorum pectora, ex pulpitis scholarum hausisse, quis non videt, ad litteras quod attinet nihil in te esse nisi rarum, solidum, maturum, & cocōctum? Sed quid ago? Haec omnia quae patronum reddunt votis meis & optatis multo maiorem, eadem magnitudine sua, primas pusillitatis meae cogitationes dissipant: Talis namque tantus, tamque eruditis cum sis, magis decebat vt de legibus abs te discerem, quam vt de ijsdem ad te scriberem. Enimuero dum subit animum cogitatio, quam sis non solum generis claritate, eruditionis praestantia, loci & gradus eminentia illustris, sed etiam comitate, humanitate, ac mansuetudine decoratus, vt pulcherrimam illam & difficillimam grauitatis cum humanitate societatem, consecutus videaris; quantum fulgore magnitudinis tuae sum deterritus, tantum mansuetudinis ac lenitatis illecebra sum prouocatus & inductus vt hoc opusculum lucubrationum mearum primitias, rudi crassoque filio contextum, nomini tuo dicarem.

Cuius quidem facti mei causas non habeo necesse, praeter eas

ter eas quas attigi, pluribus prosequi. Cum enim Principum tuorum Juris, honoris, authoritatis sis longe studiosissimus, cui alij quam tibi debebatur hic de lege tractatus? in quo omnia illa asseruntur, vindicantur, propugnantur. Adde tantam legis esse & Principatus (cui in Archiducibus, Principibus nostris, totum te quātus quantus es deuouisti) affinitatem, vt non temere à priscis hominibus græcis & latinis crebro sermone vsurpatum sit Principem legem esse animatam, legemque Principem mutum. Unde Theodosius & Valentinianus Imperatores profiteri non sunt veriti, suam de Iuris (id est legis) authoritate dependere authoritatem. Summe præterea Tibi, qui Ærarij Principum Summus Præfectus es, conuenire videbatur, de vectigalium, tributorum & portoriorum iuribus, ad ipsum Ærarium spectantibus, disputatio: non quo hinc peritior aut vigilantior euadas, ipse omnium istorum intelligentissimus, & in omnem officij partem vigilantissimus, sed quia omnibus insitum hoc est, de his quæ proprij muneris sunt, non grauate aliquid audire vel legere. Quod medicorum est, promittunt medici, tranctant fabrilia fabri. Nam cum ob spectatam tuam fidem, integritatem, moresque ab omni vel tenuissima cupiditatis labe remotissimos, te ei muneri præfecerint Principes, ita in illo & illius cura verfaris, vt illud non incongrue tibi quadret, quod de Patriarcha Iosepho scriptura commemorat, nempe cum ille in

Iustinia nouella 104. de constit. Aristotel, 5. moral c.4.

Cod. de leg. & const. Prin.

Genes. 39. *Phutipharis Domini sui familia præpositus omnibus gubernaret creditam sibi domum, & vniuersa quæ ei tradita fuerant, nihil tamen ait eadem scriptura nouerat (nempe de rebus Domini sui, quouis modo etiam licito in rem suam vertendis) præter panem quo vescebatur. Quibus verbis paucis raram, inauditam, summeque mirandam fidelitatem S. Josephi erga Dominum suum, quamuis veræ religionis exortem, designat. Quòd tu exemplum in aula catholicissimorum & pientissimorum Principũ ita ad viuum exprimis, vt illud consulto tota vita tua intuendum & imitandum sumpsisse videaris. Sicuti & illud non minus in te mirandum, quod curis & negocijs publicis ijsque summis immersus, non solum alijs prælucere vitæ instituto contendis, sed & eiusdem Patriarchæ exemplo vniuersas nobilium familias, totumq; Principis tui populum, doctissimis ac religiosissimis scriptis in lucem editis, tam latio quam vernaculo idiomate instituis, quibus etiam ij qui docendi munus habent non parum iuuantur & oblectantur. Ita assecutus es illud Lyrici Poetæ. Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci. Opto Tibi ex intimis, cordis visceribus, vt in tertio, eidem Sancto non sis dissimilis, vt sicuti benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit eam tam in ædibus quam in agris, ita propter Te, placeat*

Benedict. Perer. & Ioannes Ferus in in eum locum.

Genes. 39. *Altissimo, Serenissimarum suarũ Celsitudinum non modo domui benedicere, sed & multo magis grauissimas eorum curas, consilia, studia, pro Repb. nobisque omnibus suscepta*

secundare,

ſecundare, inſuper ipſoſmet Principes rore ſuę benedictionis ſupernæ, ad omne opus ſanctum & cæleſti regno dignum abundanter perfundere. Quod dum illis opto, tibi præcor, qui eos tanquam ſalutis communis præſides, pluſquam teipſum, nec immerito diligis.

Accipe igitur Heros clariſſime *eo quo ſoles animi candore, & boni conſule, hunc laborum meorum primitiuum foetum, ceu quoddam beneuoli & grati animi in te pignus & monimentum, vt te patrono aliorum iudicia minus timidè ſubeat, quę ſi forte parum æqua offenderit, authoritatis tuę vmbra protegere dignare. Deus Opt. Max. Illuſt. Dominationem veſtram obſequiis ſui Principis incolumen, donisque ſuis cæleſtibus cumulatè locupletatam diutiſſime conſeruet.* Duaci apud S. Petrum. *Martij. die 20. Anno Domini. 1608.*

Perilluſtris Dominationis Veſtræ
obſequijs deditiſſimus

CLAVDIVS CARNINVS.

Ad Lectorem

Præfatio, quæ simul argumentum, scopum, firmamentum ac robur, tanquam clypeum totius Tractatus, complectitur.

EX ijs quæ alias de Legibus prolixius magisque ex professo disserere est animus, Lector Beneuole, prodit hic specie & mole perexiguus Tractatus, tam authori nihilominus suo arduus, quam tibi necessarius. Arduum ideo dico, quod hoc argumentum de potestate & obligatione legum ad noxam læthalem, præ cæteris omnibus quæ de legislatione tradi possunt, sermonibus hominum expositum videam; vnde (confido) veniam merebitur, de illo nostra hæc disceptatio, sicubi nimio plus aculeata (vtinam galeata cataphractaque) videatur. Equidem cum ad quæstionem quandam, ex his quæ a quolibet nomen habent, in Regiæ Catholicæ Maiestatis Gymnasio, loco quondam martio, habitam, originem primogeniam referat, non potuit non & soli siue loci genium, & parentis ingenium aliquatenus referre. Idem pariter argumentum sua amplitudine (quid enim vastius porrigitur lege in quæstione de peccato?) ad rectæ vitæ vsum omni generi hominum (ei maxime cui expiandę conscientiæ seu suæ seu alterius negocium incumbit) ideo pernecessarium est: quod, cum peccatū aliud non sit græcis quam anomia id est contra & præter legem seu sine lege factum (vnde quod habet B. Ioannes in Epistola sua. 1. c. 3. peccatum est iniquitas; græcus textus legit peccatum est anomia) consequitur eum qui vim & potestatem legis etiam humanæ ignorat, in peccati sui nedum alieni notitia, frequenter cæcutire. Confido præterea, doctrinam hanc industria eorum qui docendi in Ecclesia munus habent, populorum animis instillatam, ad illos æternorum suppliciorum metu, erga Ecclesiæ Prælatos, Pastores, Principes omnesque magistratus in officio

officio continendos, non minimum ponderis habituram. Notum namque est, quam sit ad eam rem imbecillis, humani iudicis metus, qui manum coercet, non animum cohibet, vnde fallendi spe proposita mox erumpit.

Tam crebro autem hoc in scripto Doctoris Nauarri resonat nomen, quod is præ alijs Doctoribus, præter suum morem, quo alias solet dubia & non explorate vera, vel in ancipiti relinquere, vel absque nimia asseueratione definire; ita mordicus, cum tanto apparatu & molimine, tam crebro, suam sententiam vulgauerit & astruxerit, vt qui, non examinatis contrariæ opinionis argumentorum ponderibus solam legerit, aut audierit, omni alia repudiata, illam tanquam oracularem sit amplexurus. Nam & in Enchiridio, & tractatu particulari in Capit Fraternitas, & in Consilijs, pro illa tanquam pro aris & focis decertat. Noueris interim quicumque nostra hæc legeris, non fuisse nobis propositum, doctrinam Nauarri damnare tanquam prorsus & indubitanter erroneam, nec quidem insectari veluti manifestissime falsam, sed dumtaxat impugnare vt minus, non vsque adeo ac vsquequaque, sanam, veram, ac tutam, quin illi contraria conscientijs tutior, tranquillitati iustitiæque publicæ congruentior, diuinis litteris magnorumque Theologorum placitis conformior, & ab hæresibus nostri sæculi remotior existat. Præsertim vt illlam Author exprimit Enchiridij. c. 23. nu. 55. quam pauculis verbis vna cóclusione colligit & improbat Illustriss: Card: Tolletus libello de 7. peccat. mort. c. 20. Nulla ait lex ciuilis (ex sententia scilicet Nauarri) obligat ad mortale, nisi res quæ præcipitur, sit alio iure naturali aut diuino, præcepta. Sic Cardinalis. Cum quo conuenit Petrus Giuuara presbiter ex. Societ. Iesu in suo Compendio manualis Nauarri sæpius citato Capite 23. nu. 59. vbi ex mente eiusdem Nauarri, absolute pronunciat non esse, peccatum mortale transgredi leges humanas. Sed & Grego. à Valentia Doctor ex eadem societate scribens in. 1. 2. de lege hu. disput. 7. q. 5 puncto. 6. memorat, quosdam (quos non nominat) tribuere Nauarro, nullas omnino leges ciuiles quantumcumque præceptiuas obligare sub mortali. Hæc dixerim ne quis me calumnietur, vel ex hebetudine mentis non esse assecutum mentem Nauarri, vel eam non satis ex fide retulisse, sed proprio cerebro, & pro animi arbitrio eam concepisse & formasse. Interim tamen ne quis è contrario me insimulet

Enchi. c. 23. nu. 48 & deïcepe ad nu. 63. C. Fraternitas 12 q. 2. lib. 1. Consi. 3.

Nota.

tanquam alieni iudicij mancipium, quasi non ipsam ex suo fonte haustam, sed aliunde & fide aliena acceptam in medium protulerim, audiat quisquis ille est Nauarrum suo ore loquentem ibidem nume. 55. c. 23. Consuetudo, inquit, ita videtur interpretata leges præsertim seculares, de quarum transgressione, non consueuit fieri scrupulus conscientiæ, neque a Doctis neque ab indoctis, nec abidiotis nisi cum per eas etiam lex diuina, naturalis aut canonica infringeretur.

Vbi quamuis plusculum legibus Ecclesiasticis tribuere videatur, id tamen tantillum est, & tam obscurum, vt pro nihilo putari possit. Nam vocula præsertim, in assertione non remouet, sed tribuit, licet cum ordine & gradu prius & potius vni quam alteri. Vnde paulo ante eodem nume. generatim loquens de humanis legibus (sub quibus indubie complectitur & Ecclesiasticas) eas quatenus tales, vult ad æternam pœnam non obligare. Adde licet origine plurimum distent potestas secularis & Ecclesiastica, non tamen ita multum diffident potestate obligandi, vt imaginatur Nauarrus. Dum ergo nullas aut quasi nullas leges seculares vult obligare ad mortale; ob iuris eiusdem similitudinem, affinitatem, & quasi paritatem, idem de legibus Ecclesiasticis, necesse habet confiteri.

Nec illi suffragatur, quod nume. 51. 2. 3. 4. & alibi alias in suis scriptis nonnullas leges seculares, & aliquanto plures Ecclesiasticas agnoscat obligare ad peccatum mortale. Ibi namque non tam ex professo, certo & absolute asserere, quam disquirere, dubitare, & indagare videtur. Deinde loquitur de paucis & raris, ad leges præsertim seculares quod attinet. Numero vero 55. absolute & simpliciter loquens, concludit, docet, asserit, mentem suam plene aperit, sicuti & toto numero 59, quod magis ponderandum, quam quiduis ab illo, alibi obiter prolatum. Sed & idem Author aliter abunde suam mentem aperit, dum in suffragium sententiæ suæ citat Felinum Caie. & alios, qui tenuerunt, leges nullas humanas, quatenus tales sine contemptu & scandalo ad pecc. mort. obligare; quam sententiam etsi voce respuere videatur, reipsa tamen & veritate se ab ea non esse alienum clare demonstrat, dum inquam & illam in patrocinium accersit, dum item mox inculcat legem iubentem & prohibentem, accessu comminationis pœnæ, (eam Iurium Interpretes pœnalem mistam vocant) non obligare ad mortale. Si igitur humanæ

humanæ leges tam feueræ, acres, fortes ac vt ita dicam hastatæ & gladiatæ, non ligant iudicio Nauarri ad mortale; quæ tamdem eiusdem arbitrio vllo modo obligare poterunt? Nam legibus, quas mere pœnales vocant, nec ad leuem offensam obligandi vim vllam relinquit. Aliæ omnes leges quæ pœnam nullam continent, generali nomine a Doctoribus morales vocitantur, de quibus intelligitur id quod paulo ante dicebatur, nempe nullas leges (ex mente Nauarri) sit sint ciuiles obligare ad mortale. Nos qui æquiores in illum esse volumus, agnoscimus earum aliquas obligatorias de mente ipsius ad mortale, nempe illas in quibus legislator (ait ille) exprimit mentem suam vt obliget ad mortale. Cui tamen dicto ego obijcio. Quomodo de mente legislatoris melius constabit, quam ex verbis? mentis namque interpres est oratio. Atqui in legibus, præsertim ciuilibus, tradit idem Nauarrus nullum esse verbum, quod ex originario significatu vel ex accidenti legem obligare denotet ad mortale. Deinde inter gentiles, de quorum legibus loquitur scriptura. Ro. 13. quis vnquam legislator id expressit, vel etiam exprimere potuit? Inter fideles autem, perraro vel numquam legislatores ciuiles talem suam mentem exprimunt. Consequitur ergo ex mente Nauarri, quidquid ille secus verbo & voce asserat, nullas vel pene nullas leges humanas, obligare ad mortale, eaque est de hac re, superior Cardinalis Toleti & aliorum a nobis nominatorum doctrina.

Porrò hanc suam sententiam in se duram duriorem facit dum illam specie & prætextu plusquam communis opinionis introducit & colorat, in verbis paulo ante memoratis, nec a Doctis nec ab indoctis, nec ab idiotis &c. Quod an verum sit, de Theologis maxime, iudicabunt, qui nostra hæc sepositis aliquantisper coecis affectibus, priusquam pronuncient, iusto rationis & iudicij æquilibrio, librabunt. Sane scholiastes eiusdem Nauarri, quisquis ille fuit, veritatis & boni publici studiosus, nec ineruditus, Authoris sui sententiæ Nota. loco, Illustrissimi Cardinalis Bellarmini ex diametro doctrinam contrariam substituit, præfatus hoc modo sui facti causam. Quoniam inquit quæstio hæc maximi ponderis est, & Commentarius in Capitulum Fraternitas magna ex parte interijt, non alienum duxi, ex his quæ Bellar. lib. de laicis. c. 2. hac de re disputauit, hic quædam inserere &c. Quibus pauculis verbis, modeste prudenter, nec obscure insinuat, in quæstione grauissimi momenti, in qua de Sacrosancta

legum Maiestate agitur, aliud expectandum a tam famoso per orbem Doctore; & indubie aliam eius, Huius quæstionis decisionem monstrari posse, si nominatus in d. Cap. Fraternitas Commentarius plenus extaret. Vnde idem ille scholiastes confessarios non ad sui Authoris Nauarri, sed ad eiusdem Cardinalis doctrinam remittit, de qua vide caput octauum primæ partis huius tractatus.

Hæc igitur disputatio cum non tam de re in se videri possit, quam de opinione Nauarri (quam vti modo dicebamus) tanquam plusquam communem commendat, ideo operæ præcium existimaui, opiniones opinioni, sententias, sententijs, placita placitis, doctrinam doctrinæ, authoritatem authoritati, opponere, celeberrimorum quorumcumque tam sacræ paginæ, quam vtriusque iuris. DD. commemoratis etiam verbotenus eorum dictis, tum ob maius pondus fidei, tum quod in ipsis Doctorum Verbis ac pene apicibus, subinde vis argumenti vel etiam nouum argumentum delitescat. Adde in quæstione, quæ omnes tangit, me consultum voluisse his, qui cum professione nec sunt Theologi nec Iureconsulti libris a nobis citatis destituuntur, qui lectis Authorum verbis haud ægre, quid sibi sequendum sit statuent. Potius autem Theologorum quam Iureconsultorum doctrina vtimur, quia quæstio de peccato, præsertimque mortali, multo magis ad Theologos quam Iureconsultos pertinere dignoscitur.

Et hæc quidem de prima parte tractatus, in qua generatim de vi obligatoria legum, summe cognitu necessaria, dicta sunto. In reliquis duabus partibus, in quibus de obligatione legum tum pœnalium, tum ad vectigalia spectantium disceptatur, & si non tanti referat in rebus multum inter Doctores controuersis, nec tam late fusis, a vero nonnihil deflexisse; nolui tamen id quod existimaui veritati congruentius, conscientijs tutius, & communi tranquillitati iustitiæque consultius dissimulare. Habes igitur Lector candide rationem laboris mei, quem si boni æquique consulueris, ad reliqua tum huius generis, tum alia limanda poliendaque, animi non parum addideris. Vale.

TRACTATVS DE VI, POTESTATE, ET OBLIGATIONE LEGVM HVMANARVM.

PARS PRIMA.

CAPVT. I.

Exordium ab vſu & neceſſitate legum in Republica.

DEMOSTHENEM oratorum Græciæ principem dixiſſe perhibent, leges eſſe animam ciuitatis, adeoq́; Reipublicæ, ex quo acroamate mox ſequitur, Rempublicam ſine legibus non tam eſſe Rempub. quam Reipublicæ fœdum & exangue cadauer. Sunt namque ciuitates, non, vti reor, hominum inſtar armentorum vnum in locum congregatio, ſed Concilia, ait quidam Romanæ vrbis ciuis & conſul, cœtuſque hominum iure, id eſt legum vinculis, ſociati: qua ratione illud de lege verè dixeris, eam eſſe

veluti vinculum & coagulum, quo ex plurimis & his maxime dissentientibus incolis, fit ciuium vnitas, id est ciuitas. Sit ergo lex, ciuitatum & Rerumpublicarum mens quædam & anima sapiens, rebus cõmunibus præsidens ijsdemque cõsulens, innocentię tutrix, scelerum vindicatrix, vniuersum Reipublicæ corpus permeans, in portum salutis semper intuens, in eumdemque dirigens, cuius virtus & vigor sit, vt nomine ipso præ se fert, ligatura illa qua mortales inuicem in vnum compinguntur, ad officium quisque suum præstandum, sub onere, periculo, & discrimine, incurrendi prius in culpam & per culpam in pœnam. Quo nexu remoto, nec illa animabit Rempublicã, nec innocentiam tutam conseruabit, nec scelera vindicabit, sed rudem & indigestam veluti molem & massam mortalium, sese inuicem ad internecionem impetentium, exhibebit. Itaque quod idem ille dixit de Iustitia, adeo illam rebus humanis necessariam esse; vt absque ea nec ipsi iustitiæ hostes & perduelles subsistere queant, idem de lege eiusdemque tum ad noxam, tum ad supplicium obligatione dicendum est: vt rectè & verè dixerit Solon ille Atheniensium Legislator, duo numina mundum gubernare, pœnam & præmium. Sicuti namque anima Reipublicæ lex est, ita spiritus legis sine quo lex non esset, ad noxam pœnamue obligatio est. Quę res me mouit

mouit vt quæſtionem nodoſiſſimam, plenam laboris, diſcriminis, ac forte etiam odij: Sitne vſquequaque tuta doctrina doctoris Nauarri, de poteſtate & obligatione legum humanarum, non grauate cũ duabus alijs conſimilis argumenti ſuſciperem. Quanti quidem ponderis quæſtio hæc ſit, vel ex eo manifeſtum eſt, quod eius deciſionem a ſede Apoſtolica optauerint non pauci magnæ doctrinæ viri; Nauarrus ipſe initio huius tractatus, Eſt quæſtio (inquit) quam optaueramus hoc in loco vt a ſacroſancto Concilio Tridentino definiretur: Et Cardinalis S. Sixti, Caietani nomine notior, poſt latam diſcuſſionem huius difficultatis, Omnimoda inquit, certitudo huius quæſtionis quoad ius commune, definitionem authoritatiuam Apoſtolicæ ſedis exigere videtur. Henricus a Gandauo pro eiuſdem quæſtionis rata ſolutione, ad idem ſummum totius orbis, Romani Pontiſicis tribunal, ſuſpirauit. Porrò cum n huius arenæ & diſputationis conflictu, Antagoniſta aliquis mihi deligendus foret, ne marceret & nguerет ſine aduerſario, ſcholaſticæ orationis inuſtria, in celeberrimi nominis Doctorem Nauarım oculos conuerti, qui præ quibuſuis alijs Doctoous, quos equidem legere potuerim, magis ex proTo, maiori conatu, ſæpius & copioſius, eam dubiionem mouit & verſauit. Is quamuis multarum

Grandis quæſtionis difficultas deciſionem ſũmi Pont. requirens. Enchirid.c. 23. nũ. 48.

palmarum gloria nobilitatus pugil & athleta, me de genere pigmeorum deterrere debuerat, eheu ne nimium foret impar cum tanto congressus Achille: vicit tamen sanctæ disciplinæ nunc magis quam vnquam mundum relinquentis studium; vicit salus & incolumitas populorum: vicit sacrarum reuerentia legum, deniq; vicit vtriusque potestatis ecclesiasticæ & ciuilis, diuinit⁹ istius ergô institutæ, religiosa obseruantia Magistratuum. Nam etsi quibusdam fortassis de vinculis legum ciuilium duntaxat loqui videbimur, hoc tamen ipsi sibi persuadeant velim, nomine legis humanæ nos vtramque cum Nauarro ecclesiasticam & ciuilem complecti. Accessit ad cōmunium rerum studium, cura officii mei pastoralis quæ me sæpissimè in hunc locum scopulosum compulit, circumspectantem vndique nec inuenientem fidum & securum ducem.

Non minus de legibus ecclesiasticis agitur quam de politicis

Quocirca animus est stylo huius quamuis ieiunæ orationis, docta & præclara nostri sæculi ingenia veluti dormitantia saltem expergefacere: vt semotis leuioribus commentationibus, toto pectore in rem hanc animarū, non solum Rerumpublicarum saluti pernecessariam, omni studio, cura, & industria, incumbant, suspirans interim assidue cum ipsomet Nauarro sibi ipsi non satisfaciente, cum Cardinale Caietano, cum Henrico a Gandauo, viris omnibus erudi-

eruditione longe clarissimis, pro plena, vndequaque tuta, omnisq; dubij experte decisione, ad summum totius orbis terrarum tribunal Pontificium. Hæc me vti cōfido, lectores beneuoli, liberabunt apud vos ab omni suspicione vanitatis & arrogantiæ si in progressu orationis, calore (vt fit) disputandi, æquò acerbior in Nauarrum, metas Christianæ modestiæ transgredi visus fuero. Ita enim mihi faciendum iudicaui vt in scena actores personati, in multum dubijs litibus coram iudice causarum patroni, in ludicro certamine pugiles, agunt singuli res tanquam veras, sic mihi in huius imagine duelli, impositæ vel assumptæ aduersæ partis personæ, seruato quoad licuit decoro, in feriendo & confodiendo Nauarro, munus implendum fuit. Ac vt ad rem accingar, quatuor Nauarri assertiones quibus ille mentem suam de legum potestate expressit, falsas, vel dubias, vel non vndequaque tutas, commonstrare conabor. Earum vero assertionum prima est.

Proponuntur quatuor assertiones Nauarri legū humanarū eneruatrices.

Capvt. II.

Ponitur & refellitur prima assertio Nauarri.

Possvnt leges humanæ iustæ, quatenus sunt humanæ, tam seculares quam ecclesiasticæ obligare

Enchir. c. 23. nu. 48.

ligare etiam in foro conſcientiæ, ad peccatum veniale imo & mortale. Hæc oratio etſi in rigore & ſono verborum vera ſit: ex forma tamen & modo loquendi locum cogitandi relinquere videtur, id legibus humanis conuenire duntaxat fortuito, ex euentu, & aliunde, non ex ſe & natura ſua: quaſi inquam per illud poſſe, tacitè ſubindicet ex natura ſua vel non ligare, vel ad ſolam pœnam non ad vllam culpam & præſertim non ad mortalem. Nam de eo quod competit alicui ex natura ſua non ſolemus dicere poſſe, ſed rem ita ſeſe habere, quandoquidem apud Philoſophum in proprietate ſermonis hæc ſe mutuo inferunt, poſſe, contingere, non neceſſe, & non impoſſibile eſſe. Vbi obſerua ſi dixiſſet ad mortale non ligare leges humanas ciuiles, de obligatione ad mortale duntaxat & de ſolis ciuilibus legibus ſcrupulum relinqueret: dum vero venialis & quidem prius & potius meminit, dum etiam eccleſiaſticas cum ciuilibus nominatim exprimit, obligandi ad culpam quamlibet quantumuis leuem poteſtatem adimit, atque ſic omnem rationem dubiam & fluctuantem facit, & maxime cum meminit fori interni, quaſi Gerſonicæ doctrinæ fauere velit, leges humanas, quatenus tales, ligare duntaxat ad pœnas fori externi, ſiue legales: *tractat. d' vita. ſpir. lect.* 4. *par.* 3. iuxta interpretationem Franciſci a Victo. re-

lect.

lect. 3. vbi etsi tacito nomine, hanc doctrinam eidem Gersoni non obscure tribuit. Itaque hac assertione, specie tenus atque etiam re ipsa suo modo vera, semina doctrinæ non vsquequaque sanæ & tutæ spargere occepit, quam in sequentibus articulis seu assertionibus clarius manifestauit.

CAPVT. III.

Recitatur & refellitur eiusdem Nauarri. Assertio secunda.

ASSERTIO eiusdem secunda. Nullæ leges quarum latores id non intenderunt obligant ad mortale. Quid ergo an nullæ leges Ethnicorum principum, magistratuum, parentum, dominorum obligant subditos ad mortale, cuius notitia caruerunt ideoque illius intentionem habere nequiuerunt? At hoc aduersatur ex diametro Paulinæ doctrinæ compluribus in locis, maxime Rom. 13. vbi docet populum Christianum parere debere, etiam ethnicis principibus (nulli namque alij tunc erant) sub pœna peccati mortalis, dum ait, *Qui resistunt Dei ordinationi resistunt, &, qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, & paulo post, *non solum propter iram sed etiam propter conscientiam.* Nec est quod comminiscatur quispiam, loqui Apo-

stolum

ſtolum de legibus humanis in caſu materiæ legis naturalis aut diuinę: nam iſtius diſtinctionis nullam ille occaſionem præbet, cum generaliter loquatur, & ſine vllo diſcrimine materię. Adde tribuere illum vinculum offenſæ mortalis ipſi poteſtati non materiæ. *Non eſt* (inquit) *poteſtas niſi a Deo, & qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit, & qui reſiſtunt ſibi damnationem acquirunt.* In ſingulis verbis ad probationem grauitatis peccati, premit & inculcat Apoſtolus, poteſtatis & in ea ordinationis Dei, non rei præceptæ rationem. Dum loquitur Nauarrus de obligatione ad mortale, præſupponere videtur ceſſante intentione legiſlatoris, poſſe leges humanas ligare ad veniale, cum diuerſitatis nulla appareat ratio. Cur enim ad vinculum peccati mortalis potius quam venialis, legiſlatoris exigitur intentio? Si vtraque obligatio exigat intentionem obligandi legiſlatoris; ergo ex ſe & natura ſua obligat lex humana ceſſante intentione, duntaxat ad legales pœnas, cum illa intentio ſit legibus aduentitia & aſcititia non de natura. Siquidem finis ad quem fertur legiſlatoris animus & intentio eſt bonum aliquod commune, ad cuius conſecutionem, legem condit, & ſanctione ſua condere intendit: & hæc intentio interna eſt legi, illa vero alia intentio legiſlatoris ligandi ad mortale aut veniale, penitus extrinſeca eſt, commentitia, impertinens,

tinens, tam quoad legem in ſua natura quam quoad obligationem. Non requiritur inquam Legiſlatoris intentio ad obligationem legis, nam eoipſo quo ipſe intendit pręcipere vere ſuo verbo aut iuſſo, perinde eſt ac ſi intenderet obligare ad peccatum: quoniam hæc Dei ordinatio eſt, vt iuſti & legitimi præcepti tranſgreſſio ſine peccato non fiat. Iam quod obligatio eiuſmodi legis humanæ ſit ad peccatum mortale aut veniale, non tam pendet ex voluntate principis præcipientis, quam ex qualitate materiæ præcepti: Vnde dicitur, (ait quidam) Deum non poſſe facere ſuo pręcepto vt quodcunque verbum ocioſum ſit peccatum mortale: qualitas autem materiæ petenda eſt ex maiori vel minori oppoſitione cum recta ratione. Vide hac de re Cardinalem Bellarminum controuerſia de monachis. c. 10. Vide item Ioannem Lenſeum Balliolanum lib. 9. de libertate Chriſtiana c. 13. vt lex feratur (ait) a legiſlatorum pendet voluntate: ſed vbi lata eſt lex, tum vi ſua obligat, haud ſecus quam ſi ab ipſo Deo immediate profecta foret. Non enim accipiendum eſt inquit Bernardus aliter ſuperioris pręceptum, quam ſi ab ipſo Deo pręciperetur. Vt igitur telo miſſo nō eſt in poteſtate iaculantis quid feriat aut lædat, ita lege lata non eſt in poteſtate cōditoris quemadmodum ſubiectos obſtringat. Hæc Lenſ. qui idipſum declá-

stolum de legibus humanis in casu materiæ legis naturalis aut diuinę: nam istius distinctionis nullam ille occasionem præbet, cum generaliter loquatur, & sine vllo discrimine materię. Adde tribuere illum vinculum offensæ mortalis ipsi potestati non materiæ. *Non est* (inquit) *potestas nisi a Deo, & qui potestati resistit Dei ordinationi resistit, & qui resistunt sibi damnationem acquirunt.* In singulis verbis ad probationem grauitatis peccati, premit & inculcat Apostolus, potestatis & in ea ordinationis Dei, non rei præceptæ rationem. Dum loquitur Nauarrus de obligatione ad mortale, præsupponere videtur cessante intentione legislatoris, posse leges humanas ligare ad veniale, cum diuersitatis nulla appareat ratio. Cur enim ad vinculum peccati mortalis potius quam venialis, legislatoris exigitur intentio? Si vtraque obligatio exigat intentionem obligandi legislatoris; ergo ex se & natura sua obligat lex humana cessante intentione, duntaxat ad legales pœnas, cum illa intentio sit legibus aduentitia & ascititia non de natura. Siquidem finis ad quem fertur legislatoris animus & intentio est bonum aliquod commune, ad cuius consecutionem, legem condit, & sanctione sua condere intendit: & hæc intentio interna est legi, illa vero alia intentio legislatoris ligandi ad mortale aut veniale, penitus extrinseca est, commentitia, impertinens,

tinens, tam quoad legem in ſua natura quam quoad obligationem. Non requiritur inquam Legiſlatoris intentio ad obligationem legis, nam eoipſo quo ipſe intendit prçcipere vere ſuo verbo aut iuſſo, perinde eſt ac ſi intenderet obligare ad peccatum: quoniam hæc Dei ordinatio eſt, vt iuſti & legitimi præcepti tranſgreſſio ſine peccato non fiat. Iam quod obligatio eiuſmodi legis humanæ ſit ad peccatum mortale aut veniale, non tam pendet ex voluntate principis præcipientis, quam ex qualitate materiæ præcepti. Vnde dicitur, (ait quidam) Deum non poſſe facere ſuo prçcepto vt quodcunque verbum ocioſum ſit peccatum mortale: qualitas autem materiæ petenda eſt ex maiori vel minori oppoſitione cum recta ratione. Vide hac de re Cardinalem Bellarminum controuerſia de monachis. c. 10. Vide item Ioannem Lenſeum Balliolanum lib. 9. de libertate Chriſtiana c. 13. vt lex feratur (ait) a legiſlatorum pendet voluntate: ſed vbi lata eſt lex, tum vi ſua obligat, haud ſecus quam ſi ab ipſo Deo immediate profecta foret. Non enim accipiendum eſt inquit Bernardus aliter ſuperioris prçceptum, quam ſi ab ipſo Deo prçciperetur. Vt igitur telo miſſo nõ eſt in poteſtate iaculantis quid feriat aut lædat, ita lege lata non eſt in poteſtate cõditoris quemadmodum ſubiectos obſtringat. Hæc Lenſ. qui idipſum decla-

rat exemplo voti & iuramenti. Probat idem bifariam. Primo hanc legislatoris voluntatem seu intentionem videlicet non obligandi ad culpam, cassam & irritam Deus reddit *obedite ait* per Apostolum *præpositis vestris.* Secundo quia legitimum superioris præceptum pro Dei præcepto est. Est autem voluntas superioris vt & Tho. annotauit 2. 2. quæst. 104. art. 2. quomodocunque innotescat tacitum quoddam præceptum. Hæc idem Lens. Itaque perparum aut potius nihil hic confert aut operatur legislatoris hominis intentio ad peccatum mortale, nisi ad hoc vt verè & serio intendat præcipere iuxta sibi commissam potestatem, in qua nunquam non aliquid diuinum latet. Hoc dixerim. Non videntur memoratæ assertionis authores penetrasse vim istius reduplicationis. Leges humanæ quantenus humanæ id est vt alias loquntur puræ humanæ, diceret philosophus formaliter consideratæ. Illi namque ita intelligunt hanc vt ita dicam formalitatem & puritatem legum humanarum, quasi excluderet prorsus omne vinculum diuinum, quæ quidem illorum persuasio longe a veritate recedit, vt manifeste illa verba conuincunt. *Non est potestas nisi a Deo* &c. *Qui potestati resistit Dei ordinationi resistit*, ex quibus inquam ineluctabiliter conficitur nullam esse legitimæ potestatis humanæ legem, sanctionem vel constitu-

constitutionem veri nominis quãtumuis nude, purè simpliciter & formaliter humanæ, quæ non aliquousque sit & dici possit diuina, spectata videlicet legislatoris, quæ a Deo est, potestate: quam potestatem lex naturalis & diuina eis tribuunt, qui in potestate sunt. Qua ratione fit vt potestate & virtute obligandi, lex humana diuinæ legi (quamuis non diuturnitate & stabilitate) ideo sit par & æqualis, quia in omni & cum omni lege humana iusta, concurrit lex diuina ex parte potestatis.

CAPVT. IIII.

Unde resipiat lex humana legem diuinam, ex partene materiæ aut causæ effectricis, nempe potestatis?

NEC moueor eorum argumento qui ex his inferrent, ea ratione legem omnem fore diuinam, id enim verum est non simpliciter & ad vsũm loquendi cõmunem, sed consideratione potestatis diuinitus institutæ, & si non intuitu materiæ seu rei præceptæ. Erit ergo inquies lex humana inuariabilis, immutabilis, imprescriptibilis sicut lex diuina contra omnem experientiam & doctrinam. Respondeo hoc esse discrimen inter legem diuinam quoad materiam & eam quam diuinam dicimus quoad pote-

statē, quod lex diuina quoad materiam, simpliciter & absolute ac sine vlla adiectione talis est, scilicet diuina, ideoque prorsus immutabilis ex se & natura sua: Lex vero quam diuinam dicimus habita ratione solius potestatis, non est diuina simpliciter & absolute sed ex hypothesi, si, quamdiu, & quatenus legitime iubetur, ita vt si per conniuentiam & dissimulationem legislatoris desinat iuberi, simul desinat ad legem diuinā pertinere, eaq; ratione sit mutationi, præscriptioni, & abrogationi, obnoxia. Neque dixeris leges humanas hac ratione, nonqua parte humanę, sed quatenus diuinę sunt, obligare. Nam hęc diuinitas (vt sic loquar) ex parte potestatis diuinitus institutæ, legi humanæ intrinseca est & essentialis & perse illi competens, vt patet ex dictis: & alioqui ex eo probatur, quod iussum potestatem non habentis vt medici præscriptum quantumuis iustum & rationabile, ob defectum solius potestatis non foret lex. Illud etiam dictis non obstat quod quis obiectare posset, in legib⁹ pure humanis iussum esse mere humanum a libera & volubili hominis voluntate profectum, in rebus indifferentibus vt plurimum, in quibus non magnopere refert hoc aut illud constituatur, id inquam non obstat: nec enim iussum vt pure humanum lex esset aut ligaret nisi a legitimam potestatem habente procederet, vnde vinculum obligandi

obligandi ſortitur non a puro hominis facto. Concurrit namque Dei legiſlatoris præcipui iuſſio, cum hominis iuſſione. Vnde ad argumentum Nauarri actus agentium non operãtur vltra intentionem eorum: Reſpondendum non tam intuendum hic eſſe, actionem operationem & intentionem hominis, quam Dei authoris præcipui omnis legis. His conformiter Ioannes Molanus in ſua Theologia practica tract. 5. c. 8. Ligant inquit leges humanæ ſubditos omnino omnes, idque non ſolum coram hominibus ad euitandam pœnam, verumetiam in conſcientia: Siquidem velut diuinis non humanis conſtitutionibus homo obnoxius, quoties eas tranſgreditur, præuaricationis reus efficitur. Hæc ille.

Quę verba vniuerſim de legibus humanis prolata, eas eſſe diuinas habita duntaxat poteſtatis ratione, non etiam materiæ ſuſtineri queunt. Qua diſtinctione non ſatis animaduerſa, confugit Nauarrus foras ad intẽtionem legiſlatoris, ex qua mutuatur & mendicat abligationem legis humanæ, quaſi ſcilicet id illa non habeat intus & in viſceribus, quamuis dependenter a lege diuina. Gerſon autem extra materiam legis diuinæ, eandem omni vinculo obligatorio ſpoliat, dum inquam non occurrit, aut non ſatis perpẽdit, in omnem legem ex parte poteſtatis ſemper incurrere hanc diuinam & naturalem legem, ſuperi-

oribus obediendum esse. Hactenus de vi & potentia legis in obligando spectata potestate, nunc verbulum de consideratione materiæ cuiusdam communis, videlicet honestatis, iustitiæ, pacis, vtilitatis, & tranquillitatis cōmunis, quæ re vel opinione saltem legislatoris (quod sufficit cum eius sit tanquam clauum tenentis consulere rebus cōmunibus) incurrit in omnem veri nominis legem humanam; quam honestatem, iustitiam pacem & tranquillitatem publicam offendit, turbat, demolitur omnis ille qui in eam impingit, vt non immerito etiam in Deum læthaliter peccare censendus sit. Fatentur sane omnes peccatum esse mortale violare leges humanas ex contemptu legislatoris, quod etiam sit peccatum mortale in re graui & absque comtemptu violare leges ciuiles. Atqui aliquando imò frequenter materia præcepta in re ciuili, magnopere cōfert ad bonum politicum, ergo sicut violatio talis legis valde aduersatur bono communi, sic etiam valde repugnabit rectæ rationi, cuius est magnifacere bonum commune: peccatum autem mortale est quod multum repugnat rectę rationi; violatio ergo iuris pure ciuilis in materia graui peccatum est mortale. Illam vero honestatem, iustitiam, pacem publicam & tranquillitatem communem esse materiam omnis humanæ legis ex Isidoro passim tradunt Doctores

sacri.

ſacri. Factæ ſunt inquit leges vt earum metu humana coerceretur audacia, tutaque eſſet inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrenaretur nocendi facultas. Item apertius lib. 5. æthimologiarum c. 21. ea inquit lex recta eſt, quæ eſt honeſta, poſſibilis, ſecundum naturã, nullo priuato commodo, ſed pro vtilitate ciuium ſcripta. Sed & præclarus ille quondam ſuæ Reipublicæ gubernator ac rector Marcus Cicero libro officiorum tertio. Hoc inquit ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe ciuium coniunctionem; quam qui dirimunt eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. Etſi namque loquitur ille de fine magis legum humanarum quam de materia; attamen cum materia omnis in omni genere reſpectu finis habeat rationem medij: media vero oporteat eſſe congrua & conuenientia fini, conſequens eſt fine & ſcopo legum humanarum in incolumitate ciuium locato, ipſas leges de alijs rebus haud eſſe conditas nec condendas, quam quæ ad eandem incolumitatem & ſoſpitatem populi ſpectant. Ex quo fit, vt in cuiuſcunque humanæ legis præuaricatione præter priuatum damnum, tum rebus publicis & communibus, tum poteſtati ſupremę Reipublicæ vel iniuria inferatur vel detrimentum, quod ſine peccato grauiori fieri nequit.

CAPVT.

CAPVT. V.

Assertio Nauarri tertia eaque bipartita ponitur & confutatur.

Enchi.c.23. num. 49. ASSERTIO tertia bipartita est, omnem illam legem & solam obligare ad mortale, quę habet verba præceptiua vel prohibitiua. Sic enim ille, non obligant ad mortale leges etiam canonicę quæ non habent verba pręceptiua vel prohibitiua, sed solum ordinatiua vel constitutiua, etiam si sint imperatiui modi. hæc vna pars est. Altera aliquanto post. Intentio inquit cuiuslibet legislatoris ecclesiastici vtentis in sua lege verbo præceptiuo vel prohibitiuo est obligare ad mortale. Itaque hanc regulam profert assertor pro signo reciproco & indubitato, vt omnis lex ecclesiastica quæ habet verba præceptiua vel prohitiua obliget ad mortale, quę vero caret non obliget ad mortale. Quam regulam Nauarrus non vsquequaque probare videtur, in eam fulgore authoritatis doctrinæ communis & pontificiæ sese compulsum, fuisse significãs. Concedendum est inquit vnum satis durum populo Christiano, quod intentio cuiuslibet legislatoris ecclesiastici vtentis verbis præceptiuis &c. Duram igitur illam doctrinam non arbitror molliendam sed potius scindendam, aut

Eodem c4. num. 52.

aut verius ex dictis conterendam & cōminuendam exterminandamque, tanquam legum eneruatricem. Cum enim satis superque probauerimus animum seu intentionem legislatoris, impertinentem esse ad vinculum peccati mortalis, sed requiri & sufficere intentionem imperandi, vetandi, seu vtendi potestate legislatrice, in re tamen paulo grauiori, nihil attinet ad peccatum mortale, quibus verbis præceptiuis, ordinatiuis, constitutiuis, aut alijs quibuscumque modo serijs,& non iocularibus vtatur legislator, dummodo constet verbo scripto, nutu, aut aliter animum & intentionem præcipiendi vel prohibendi habuisse, sitque res non leuiuscula, quæ præcipitur vetaturue: eo namque ipso censetur virtute & tacitè, si non actu & expresse intendisse obligatinem sub mortali, si materia grauioris momenti sit. Pro hac nostra doctrina vehementer facit Panormitanus, de constit. c. Nam concupiscentiam, vbi quærit an sit verum generaliter, quod quis incidat in peccatum maxime mortale, veniendo contra legem positiuam, & respondet ex B. Thoma & Archidiacono, si certum est de mente legem ferentis, quod intendit præcipere certum est quod obligat contrauenientem ad mortale. Nam resistendo superiori, resistitur Deo. Nota verbum si certum est quod intendit præcipere, non ait, si intendit ligare

ad mortale. Est quidem ita, quoties in lege canonica seu ciuili (nec enim in eo distinguimus) quamuis contradicente assertore, quoties inquam occurrunt voces præcipiendi aut prohibendi præsertim si hæ particulę sint comites, arctę, strictę, in virtute sanctę obedientiæ, sub obtestatione iudicij diuinj, & similes, signum aliquod est, non quidem perpetuum & indubitatum, nec immediatum obligationis ad mortale, sed veræ, seriæ & non iocularis iussionis aut exhortationis alicuius, ad quam seriam iussionem, nisi ex materia impedimentum surgat, obligatio ad mortale peccatum exoritur. Et istud signum minime conuertitur, vt quoties verba præceptiua & prohibitiua a lege absunt, toties censeatur illa lex ad mortale non ligare, vt voluit Nauarrus cum communi vt existimauit. Quam quidem communem habuit suspectam vocans illam duram satis populo Christiano. Quo loco obserua perrarò aut numquam, solere legislatores ecclesiasticos aut ciuiles, hoc formulare & discrimen, in verborum veluti aucupio consistens intueri.

Assertionis superioris confutatio.

Vtramq; partem huius assertionis nobiscum paucis & grauiter confutat Illustrissimus. Cardinalis Toletus, vsus authoritate alterius illustrissimi & subtilissimi Theologi Caietani, in verbo pręceptum vbi, ita. Quamuis verba talia contineant præceptiua aut

prohi-

prohibitiua adhuc non obligant ad mortale nisi sit materia alicuius momenti. Alterum quoque dictum Nauarri eodem modo est intelligendum: cum enim res declaratur grauis obligat ad mortale, nec refert illo modo loqui. Si enim decalogi præcepta ex leuitate meterię obligant ad veniale, multo magis præcepta humana, & ego ait ita credo. Hæc ille. Sed ad rationes Nauarri ex Clementina exiui, ex authoritate doctrinæ vtriusque Thomæ & Panormitanj quid dicemus? Respōdet idem illustrissimus Toletus ad Clemētinam Exiui, paragrapho cum autem de verbori significationibus quæ habet S. Franciscum noluisse obligare suos religiosos æqualiter ad omnia quæ sua regula continet, eoquod ad aliqua ex regula addidit verbum pręcipiens, quod ex vi sua ad mortale obligat, & ad aliqua non. Respondet inquam idipsum quod ipsemet Nauarrus insinuat, esse ibi speciale in hoc verbo præcipio posito in ore tam magni & sancti authoris, tam sanctę & arctæ regulæ, & ad subditos tantæ perfectionis & asperitatis. Non ergo hinc voluit Pontifex generalem quandam regulam condere, quod fecit Nauarrus, & cum eo turba non modica Canonistarum debili admodum innixa fundamento. Ad Beatum Thomam verbulo Respondet idem Cardinalis illum non ita vniuersaliter loqui vt vult

Nauarrus. Adijcio ego nec in particularli Beatum Thomam id habere, nisi admodum inuolute & obscure, 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 2. Allegatur alter Thomas Cardinalis S. Sixti a Nauarro in opusculis suis tract. 25. in quo post non indiligentem discussionem, voculam obseruare nequiui, quæ specietenus Nauarro suffragetur. Allegatur 2. idem Cardinalis 2. 2. quest. 186, quasi iuxta singularem eius interpretationem, videatur legislator ad mortale non obligare voluisse, dum nec præcipit, nec prohibet. Verum non oscitanter lecto & relecto ibidem Cardinale, nec in terminis vt loquntur, nec in sententia, id habere pro Nauarro videtur, quin potius contra eum hisce verbis scribit. Ipsum, inquit, verbum,(Præcipio) non vniuersaliter inducit vim præcepti quod probat ex euangelio, ex B. Augustino nec non ex Aristotele, infra ex vi (inquit) vocabuli præcipere seu præcepti licet importet vim obligatiuam : non tamen ad mortale, & ne putes, subdit idem, nouam me ingerere doctrinam, lege diuum Thomam in multis fidei, spei, charitatis, prudentiæ iustitiæ præceptis, & videbis multa sub præcepto comprehendi ad venialem tantum culpam obligantia, tum quia Augustinus in Litera sic vsus est præcepti nomine cum dixit. Hæc sunt quæ vt obseruetis præcipimus. Ex illo namque præcepto obligantur

ligantur professores illius regulæ, ad obseruanda omnia ibidem mandata, sed non mortaliter propterea peccant, quoniam verbum pręcipimus (notate) habet vim obligatiuã sed non determinate ad mortale, & ideo non licet ex illo talem obligationem inferre. Hæc iterum Cardinalis, quæ an iuuent vel potius penitus Nauarrum iugulent, qui hæc audierint vel legerint ęqui iudices sunto. Vnum duntaxat est in Cardinale verbum atque alterum quod pro Nauarro facit. Rationabile inquit videtur quod vbi in iure inuenitur vocabulum pręcepti, ibi sit obligatio ad mortale, propter Clementinam citatam; veruntamen qui rem paulo attentius pensitauerit, in duobus Cardinalis doctrinam a Nauarri opinione dissidere facile deprehenderit. Cardinalis loquutus est de iure vniuersim, Nauarrus regulam suam ad ius canonicum restrinxit. Nauarrus generalem regulam vtrinque constituit, omnem & solam legem canonicam ligare ad mortale, quæ vtitur verbis præceptiuis, Cardinalis vsum vocabuli præceptiui non pro signo necessario, sed probabili duntaxat & verisimili accæpit. Dixi (inquit) esse rationabile propter authoritatem iuris canonici (respicit ad sæpius nominatam Clementinam) & non dixi esse constans & necessarium, quia ex vi vocabuli (præcipere) licet importet obligationem non tamen ad mortale.

Quibus vltimis verbis, non modo opinionem Nauarri ſubuertit, ſed eiuſdem opinionis, quam contendit eſſe communem (dubito an vere) vnicum fundamentum diruit & demolitur. Quotquot namque hactenus DD. Nauarro adhæſerunt, ideo adhęſerunt quod vocabulum præcepti vi ſua vinculum ad tranſgreſſionem læthalis offenſæ ſignificare exiſtimarunt, cuius contrarium multis argumentis Cardinalis, vt vidimus aſſerit; in quo tamen Pontifici in dicta Clementina minimè contradicit, quia Pontifex non intendit vniuerſim vim verbi (præcipere) emungere, ſed eo in loco, in eo contextu verborum conſequentium, antecedentium, & connexorum, in ſubiecto argumento. Denique in regula tanti patriarchæ. Cuius rei vel ignoratio vel non ſatis diligens adnimaduerſio, Nauarrum eiuſque ſectatores in eas abſurditates, quas multiplices audiuimus, compulit. De Panormitano, dudum ipſiuſmet verbis, noſtrum eſſe perſpeximus, etſi illum Nauarrus ſibi vendicet.

Capvt. VI.

Aſſertio Nauarri legum diſſipatrix quarta, late retunditur.

Asssertio Nauarri quarta eſt. Probabilius nobis videtur, leges humanas etiam præcipientes

pientes (præſertim ſæculares quæ pœnam temporalem conſtituunt) in dubio ad æternam non obligare, quatenus ſunt leges eius qui eam pœnam ſtatuit: & infra. Conſuetudo ita videtur interpretata præſertim leges ſæculares, de quarum tranſgreſſione non conſueuit fieri ſcrupulus conſcientiæ neque *a doctis etiam*, niſi cum per eas etiam lex diuina, naturalis aut canonica infringerētur: quod eſt in ſumma vt colligit Cardinalis Toletus, Nulla lex humana ſeu ciuilis obligat ad mortale, quamuis habeat verbum præceptiuum, niſi res quæ præcipitur ſit alio iure naturali vel diuino præcepta.

Ratio eius eſt quia non conſtat, neque eſt expreſſa intentio legiſlatoris, volentis obligare ad mortale. Quæ aſſertio ex his quæ dudum de vi & poteſtate legum, de impertinentia intentionis Legiſlatorum, de materia quadam communi honeſtatis, vtilitatis, ac neceſſitatis communis, quæ ſubiacet omni legi, fere plus ſatis confutata eſt, attamen eam lubet maioris firmitatis gratia (quoniam in ea eſt cardo totius huius diſputationis, in qua etiam aſſertor mentem ſuam antea vtcumque tectam euidentius manifeſtauit) robuſtioribus premere argumentis. Eius igitur aſſertionis idem Cardinalis Toletus ſententiam prorſus contrariam tuetur & cum eo Dominicus a Soto lib. 1. de Iuſtitia quæſt. 5. vbi late pro- *Cardinalis Toletus.*

bat

bat duas conclusiones, quæ assertionem Nauarri non modo falsam, sed erroneam vel errori in fide proximam conuincunt. Prior est de potestate ecclesiastica. Tanquam fides catholica confitendum est, ecclesiasticas leges obligare in foro conscientiæ genere suo sub reatu mortalis maculæ. Notate duo (Lectores) Tanquam fides ait confitendum est, item ex genere suo, quæ duo grauiter Nauarrum pungunt.

Duæ conclusiones Dominici doctrinam quam tuemur non solum esse veram sed de fide.

Altera conclusio est de potestate ciuili quam ait esse secundum mentem B. Thomæ. Similis conclusio (ait) suam etiam inconcussam retinet veritatem in ciuilibus legibus, quippe quę ad culpam obligant & quidem de genere suo mortalem. De qua & illud subdit. Licet (inquit) non sit manifestaria hæresis, hanc authoritatem & vigorem ciuilibus legibus veluti ecclesiasticis denegare, esset tamen profecto temerarium, & contra doctorum consensum qui pręcipuum habent nomen. Notate hæc, doctrinam hanc quam amplectitur & tuetur omni conatu Nauarrus, esse temerariam iudicio Dominici, esse contra doctorum famosiorum consensum, esse insuper quoad leges ecclesiasticas seu canones sacros errorem in fide manifestarium, esse denique quoad leges ciuiles etiam hæresis macula, quamuis non adeo apertè conspurcatam. Adijcio eandem plenam esse

Fluctuatio Nauarri.

esse inconstantiæ, fluctuationis & trepidationis, qua ratione seipsam refellit; nam cum præcedenti assertione satis serio & vero vultu omnem legem præceptiuis verbis conceptam ligare ad mortale contendisset, nunc illam ipsam doctrinam contraria demolitur hoc pacto collectore Cardinali Tolleto. Nulla lex ciuilis, ait præceptiuo vtens verbo ligat ad mortale. Indicat magis animi sui fluctum dum ait probabile esse, dum item ait in dubio, ipse dubius totus & anceps. Cuius suæ fluctuationis quasi penitus immemor, mox in duabus appendicibus tanto pondere & apparatu verborum non ita rerum, eam ipsam doctrinam firmat, vt instar oraculi, & quasi ex tripode profecta videatur. Ratio conclusionum Dominici (quamuis ipse alias habeat) hæc vigentissima esse potest. Omne illud quod in scriptura expresse aut inuolute seu tacite continetur iuris est diuini: tacite interpretor contineri, quod per validam argumentationem colligi potest, quamuis expressis verbis in scriptura non legatur. Atqui obedientia præstanda tam ecclesiasticæ quam sæculari potestati sub pœna peccati mortalis, vel expresse in scriptura continetur, vel sane clarissime ex ea colligitur, vt patet vel ex solis verbis Paulinis ad Rom. 13. quæ de vtraque & magis de sæculari potestate a sanctis doctoribus antiquis exponuntur. Ergo illa talis sub

D mor-

mortali illi præstanda obedientia de fide est. Porro quidquid contrarium est fidei hæresis est & error. Assertio vero Nauarri contraria est illi fidei, ergo assertio præfata ægre admodum ab hæresi sese tueri potest: vt hic satis mirer indulgentiam Dominici in euidentia erroris, qua distinguit obligationem legis ciuilis & canonicæ, cum ex ijsdem scripturæ locis æque euidenter vtriusque vinculum ad damnationem æternam concludatur: ex eo namque quod peccata in legem ciuilem commissa sint damnationis æternæ meritoria vt conuincunt imo clarè exprimunt verba Apostoli, plumbeus est, totus hebes, & iners, qui non cernit efficacissime colligi eiusmodi sæculares leges ad noxam capitalem ligare. Dominico à Soto succenturiatur clarus ille doctor Theologus hæreticorum malleus Iacobus Latomus, libello de varijs questionum generibus quibus certat ecclesia cum hæreticis.

Timidius quam deceat loquitur Dominicus de legibus ciuilibus.

Ad quæstionem an episcopi possint suis constitutionibus obligare ad peccatum mortale. Respondet quomodo de ea re dubitari possit à quouis catholico salua fide quæ Deo, scripturæ & ecclesiæ debetur non video, nullam faciens mentionem tot lapparum quot meminit Nauarrus: probationis causa subijcit, vsus (inquit) non hesternus sed antiquissimus ecclesiæ habet, quod qui ad collectam die domini-

Ex Latomi sententia statuta episcopalia indubitanter ligare ad mortale.

minica non venerit, aut ante finem abierit excommunicetur, quæ censura non fertur nisi pro mortali:& reuera quæ esset necessitas obediēdi parentibus subiacendi præpositis, audiendi ecclesiam, si episcopi non possent suis constitutionibus ligare ad capitale peccatum. Hoc igitur thema non annumeratur problematibus ambiguis, de quibus vtrinque a catholicis opinari liceat. Hæc Latomus & vbi? in questionibus de quibus ecclesia certat cum hæreticis, hoc thema non esse problematicum, non licere opinari vtrimque a catholico salua fide catholica, quæ Deo & scripturæ debetur. Non citat scripturæ designatum locum, sed ego non ambigo quin cum primis ad locum citatum Rom. 13. respiciat, qui locus cum magis ad leges ciuiles quam ecclesiasticas spectet, omnia quæ ille de legibus dicit episcoporum ad leges etiam magistratuum ciuilium pertinere non negaret. Luculentissima est alibi, libello cui Titulus est, De ecclesia & legis humanæ obligatione, eiusdem Latomi doctrina, quæ quia vere Theologica est & ex ipso genuino scripturæ sensu eruta & deprompta, non pigeat Lectorem, eam quamuis paulo prolixiorem oculis percurrere. Fundat inquit Paulus rationem peccati, in violatione ordinis diuinitus instituti. Hunc ordinem Deus seruari iubet, turbari vetat, quæ a Deo sunt inquit ord. sunt. Et qui. po.

resi. d or. resistit. Nec valet dicere, Apostolum loqui ad metas iuris naturæ & diuini, & sic non facere pro legibus humanis, sed solum vt potestati obediatur de necessitate, quando ea constituit vel præcipit, sine quibus salus publica vel priuata consistere nequit. Hoc inquam dici non potest, cum loquatur Apostolus de tributis & legibus pœnalibus dicens, Reddite om. d. c. trib. &c. addens si malum feceris time, non enim sine causa gladium portat. In istis (ait) omnibus leges humanę iustæ, sunt obligantes in foro conscientiæ; non tantum necessitate absoluta, sed cum subest causa rationabilis, propter quam eiusmodi lex ponitur, qua non posita, ex diuino mandato non curreret obligatio certa & determinata super eodem. Est enim Iurisgentium, vt is qui communitatis curam gerit, eiusmodi leges possit ferre. Vnde ait Aug. 3. confess. esse generale pactum societatis humanæ, obedire regibus, quodque licet Regi in ciuitate cui regnat, iubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse vmquam iusserat.

Et infra: transgrediens (inquit) scilicet legem humanam peccat directe & immediate contra legem humanam; mediate vero contra legem diuinam dicentem *Qui vos audit* &c. Item contra illud Apostoli, *Obedite præpositis vestris & subiacete illis.* Item

Lucæ. 10.
Hebræ. 13.
Roma. 13.

Item contra illud, Omnis anima potestatibus sublimioribus, subdita sit. Contraueniens ordini diuinitus posito Deum offendit, sed contraueniens ordini posito ab homine Prælato, posito legitima & ordinata Prælatione, & hominem offendit & Deum, immediate hominem, mediate Deum. Sicut qui transgreditur ordinem a Rege positum, Regem offēdit, & qui transgreditur ordinem ab eo positum quem Rex constituit Regem & hominē ab eo constitutum offendit. Et infra: Nec a peccato releuat quod præcepta humana sunt non diuina, contra quæ peccatur. Nam ad Roma. 1. non minus inter dignos morte æterna numerantur parentibus inobedientes, quam homicidæ, licet isti immediate peccent contra legis diuinæ & naturalis præceptum, illi vero immediate contra humanum, mediate contra diuinum præceptum.

Tandem libellum suum concludit. Hæc inquit de obligatione legis humanæ; quibus vt arbitror, sufficienter ostensum est, peccatum mortale sæpe committi contra humanam legem, non concurrente lege diuina præceptiua super eodem facto. De quo si quis adhuc dubitat, dicat si potest, cur vidua post votum emissum viduitatis mortaliter peccat volens nubere? Aut cur Monachus contrahendo matrimonium, aut contracto vtendo, aut

proptium possidendo? Dicet & recte, quia directe cõtraueniunt voto & promissioni hominibus facte. Sed qui sic respondet, consideret anne obligatio humanæ promissionis humana sit, vt pote ex actu humano nata, & nihilominus mortaliter peccat. Hæc ex Latomo tam prolixe non tam ob authoritatem viri, sane præclaram, quam multo magis, quod ille cæterorum Theologorum veluti nomine, ex professo, de quæstione præsenti, theologalem & magistralem sententiam promulgarit. Gregorius a Valentia scribens in D. Thomam disput. 7. quest. 6. puncto. 6. de lege humana (vt hinc etiam intelligas hanc doctrinam esse eiusdem B. Thomæ) commemoratis & repudiatis sententijs contrarijs subdit. His ait non obstantibus, firmissime tenendum est ab vtraque potestate ciuili & ecclesiastica, posse condi legem quæ etiam obliget sub mortali. Et quidem quod attinet ad potestatem ecclesiasticam, sine controuersia iam docent authores catholici, assertionem eam certam esse ex fide propter multa testimonia tum scripturæ tum conciliorum puncto 2. citata. Notate sine controuersia.

Item iam docent etsi forte aliter olim in caligine ignorantię rei nondum satisdiscussæ. Item authores docẽt catholici quasi iudicans parum catholicos esse qui secus docent. Item assertionem esse certam ex

fide,

fide, denique propter testimonia scripturæ & Conciliorum quæ scilicet singula gignunt fidem. De potestate autem ciuili plus dicit quam Dominicus.

Quod vero attinet ait, ad potestatem ciuilem putat Sotus non esse id omnino certum ex fide. Ego autem certum prorsus arbitror, siquidem id non solum affirmat Apostolus sed ex professo etiam probat ad Rom. 13. &c. Nota igitur ad vinculum obligandi ad mortale & quidem ad fidem quod attinet pari passu ambulare leges ecclesiasticas & ciuiles. Rationes & scripturas quibus ille sententiam suam roborat, vide apud illum. Ego lectores beneuoli, ab eo tempore quo in celeberrimo gymnasio regio Philosophiam profitens, ante triginta plus minus annos, narrante sub regijs ipsis tectis quodá viro docto cognoui insignes animi dotes ipsius Nauarri (cui ille vir per triennium amanuensis operam nauauerat) cœpi illum amare, colere, venerari, propter insignem in Deum pietatem, in inopes præsertim aduenas benignitatem, raram vtriusque ac præsertim pontificij iuris peritiam, & vsum, indeffessum pernox, & pertinax vsque ad decrepitam ætatem studium, pectus prorsus catholicum ab omni vel leuissima hæreseos suspicione remotissimum. Absit ergo vt quoquo pacto eius fidem in dubium vocem, sed habent etiam speciosissima corpora suos subinde

Quod ti-n ide Dominicus de legibus ciuibus, intrepide asserit Gregorius a Valentia.

Magna laus Doct: Nauarri patitur næuum.

inde næuos, quandoque bonus in longo opere dormitat Homerus, habent non raro ſcripta catholicorum hominum velut Nauarri & aliorum, quædam ſuis temporibus tribuenda, nec ab ipſis authoribus nec ab alijs deprehenſa, quæ diligentius a poſteris excuſſa a ſanitate fidei exorbitare comperiuntur. Illa ſi authores ſpectemus, non contra fidem vitia, ſed mentis & intelligentiæ humanæ quædam prolapſiones & ceſpitationes, aut ſi mauultis obliuionis nonnullæ obreptiones, tanto magis æquanimiter in Nauarro ferendę quod iudicium peccati mortalis a B. Auguſtino Theologorum apice pro difficillimo habitum, non tam ad pulpita canoniſtarum quam ad cathedras Theologorum pertineat. Gloſſa c. 1. de pœnit. diſt. 50. commemoratis aliquot ijſdemque refutatis opinionibus falſis de origine confeſsionis ſacramentalis, ſubdit eam inſtitutam fuiſſe a quadam vniuerſali eccleſię traditione potius quam ex noui vel veteris teſtamenti authoritate, quod in ſe hęreticum prorſus eſt non ſolum falſum: ſicuti & illud pariter falſum & hęreticum eſt, quod inde colligit gręcos non teneri confiteri; falſum item quod mox ait verba Apoſtoli Iacobi *Confitemini alterutrum peccata veſtra* non inducere præceptum ſed conſilium: falſum denique non fuiſſe in vſu apud græcos confeſſionem ſacramentalem: fuit namque

Gloſſator iuris Pontificij catholicus hæreticum omnino de confeſsione ſcripſit.

namque vt testatur Scotus scribens in 4. dist. 17. & diffuse monstrat Concilium Colo folio 151. §. restat in eandem dist. 17. Vnde Durandus, dignam esse eam Glossam ait quæ de illo aureo volumine tollatur. Parisiẽses item aiunt eam cum Panor in cap. Omnis vt. sex. non solum parum erudite sed delire locutam. Ipsemet Nauarrus eandem damnat, & a multis viris eruditissimis qui nostra ætate in Lutheranos scripserunt, narrat fuisse damnatam neque tamen ipse Nauarrus nec vlli alij viri doctrina clarissimi Abbati Panor. aut Glossæ authori ob id hæresis vllam suspicionem impingunt. Quanquam nolim excusatione nimis anxia litem hanc facere meam, contentus hactenus duorum aut trium grauissimorum Theologorum de opinione quam tuetur Nauarrus commemorasse & declarasse doctrinam, cui nec subscribens nec contradicens, eam ad doctiores remitto: nec enim mihi propositũ fuit vt tam famosi viri doctrinam erroris conuincerem, sed vt non prorsus & vndequaque tutam, sacris Literis earumque doctoribus consonam, omnibus qui sponte cæcutire nolunt, palam facerem. Explosa est siquidem eadem doctrina a cœteris primi nominis nostræ ætatis theologis quamuis mitioribus verbis quam a Latomo & Dominico. Diuus Ant. tractatu de prima filia inanis gloriæ quæ est Inobe- *Antoni: nostrarum partium.*

E dientia

dientia, postquam distinxit ordinationes diuinas & ecclesiasticas in monitorias & præceptorias; sic ille loquitur. Qui facit ait contra præcepta diuina vel humana sumendo proprie præceptum, vt distinguitur a monitione etiamsi faciat non ex cōtemptu sed ex negligentia, peccat mortaliter. Vide illum sanctum non distinguere in modo obligandi ad mortale diuina præcepta ab humanis aut humana a diuinis: probat ex scriptura quia Paulus 2. ad Timoth. 3. inter mortalia ponit illud parentibus non obedientes Item illud Rom. 13. Qui potestati resist. &c. Rationem inducit ex Thoma 2. 2. quæst. 105. Quia illud mortale est quod aduersatur charitati. Facit etiam ait, contra iustitiam non obediens in eo quod subtrahit obedientiam superioribus debitam. Ioannes Molanus in suo compendio Theologiæ practicæ tract. 5. c. 8. eandem amplectitur doctrinam veluti inquit non humanis sed diuinis constitutionibus homo obnoxius, quoties eas transgreditur, toties coram Dei tribunali præuaricationis reus efficitur, mortalis quidem si adsit contemptus, vel & citra scandalum & contemptum pro legum & rerum præceptarum varietate, nunc mortalis nunc venialis. Ioannes viguerius ad verba Pauli Rom. 13. Ideo necessit. &c. ex hac ait vltima propositione infero quod leges humanæ iustæ siue sint temporales

Ioannes Mola.

Ioannes Viguer.

sine

ſine eccleſiaſticæ obligant in foro interiori ſub pœna peccati mortalis etiam ſecluſo ſcandalo. Probat ex lege naturę incluſa in omni humana iuſta, & argumento alio ex loco a minori de prçceptis parentum quę inferiora ſunt legibus magiſtratuum. Emmanuel Sa in ſuis aphoriſmis, dum memorat multas exceptiones, quibus lex humana non ligat in conſcientia, ſatis indicat generalem regulam eſſe ligare illam extra illos caſus: nam exceptio, aiunt, firmat regulam, ſcilicet in caſibus non exceptis. Vide prçter hos Saſbout in epiſtolam ad Romanos. Liranus in eandem epiſtolam ad vocem damnationem acquirit, æternam ait. Vide item Ioannem Lenſęum Beliolanum de Chriſtiana libertate. lib. 9. c. 3. Vide Ioannem Azorium lib. 5. Inſtitut. moral. c. 6. vbi late eam rem diſcutit. Bartholomęus fumus in ſua ſumma verbo Inobedientia, non obedire inquit legis præcepto quando lex eſt iuſta, acceptata, non abrogata per contrariam conſuetudinem, eſt peccatum mortale etiamſi lex talis ſit pure pœnalis, vt dicendo. Qui percuſſerit aliquem vulnere ſoluat decem aureos. Quæro vnde hoc, niſi ex eo quod lex in quam commiſſum eſt tam arcte, ad mortale inquam ligat? Author ſummæ quæ Piſanella dicitur eodem verbo Inobedientia quærit num inobedientia ſit peccatum mortale. Reſpondeo inquit, ſecundum

Saſbout Lyranus I. ã: leſ eus Ioã: Azor Bartho. fum: Sũmã piſa: Sum: Syluester.

 dum

dum Thomam. 2. 2. quęst. 105. sic. nam inobedientia contrariatur charitati Dei quę exigit vt præceptis eius obediatur. Et ne putes authorem loqui de Inobedientia pręceptorum diuinorum non item humanorum subdit. In pręceptis autem diuinis continetur vt etiam superioribus obediatur vnde Roma. 13. Qui potestati resistit Dei ordinat. &c. Item contrariatur dilectioni proximi in quantum superiori proximo subtrahit obedientiam ei debitam. Hæc ille, post ecclesiæ doctorem Angelicum & iuxta rationes eius, qui etiam sanctus doctor expressius subdit. Inobedientia qua quis inobediens est præceptis superiorum peccatum est mortale. Iam vero nemo est ingenio adeo hebeti qui non assequatur, peccatum aliquod mortale esse non posse nisi lex in quam committitur ad mortale obliget. Interpretatur ergo hic Doctoris locus alium eiusdem *1. 2.* quæst *96.* art. 4. cuius articuli conclusio est, leges humanas iustas obligare in foro conscientiæ; quo loco etsi nomine conscientiæ poteramus cum turba eorum qui locum illum citant, intelligere conscientiam peccati mortalis conformiter scripturæ (notante Sasbout in c. 13. epistolę ad Rom.) attamen quia illo nomine quispiam etiam veniale peccatum intelligi contenderet, clarius est quod paulo ante ex eodem B. Thoma prolatum est. Eandem eius Doctoris ecclesiastici do-

Doctrina Nauarri aduersatur doctrinæ B. Thomæ.

ctrinam

ctrinam quamuis ex alijs locis astruit Siluester verbo Lex quæritur inquit vtrum lex canonica vel ciuilis aut quæcunquæ constitutio vel statutum obliget ex sua transgressione ad mortale semper & in omni casu? Respondet præmissa aliqua distinctione consilij mandati & præcepti veri. Transgressio inquit, præcepti seu statuti præceptiui humani canonici vel ciuilis cessante contemptu de se & regulariter est peccatum mortale; nisi fiat ex rationabili causa, vel saltem pro tali probabiliter credita: hoc enim sentit Thomas quoad ius canonicum. 2. 2. quæst. 147. art. 3. ad 2. vbi dicit quod transgrediens præceptum de ieiunio ex contemptu vel impediendo finem legislatoris peccat mortaliter, nisi fiat ex causa rationabili. Et similiter quantum ad ius ciuile 2. 2. 96. art. 6. vbi dicit quod omnis lex ordinatur ad bonum commune. Hæc ibi ille ex eiusdem Doctoris pectore, qui etiam alias verbo Inobedientia eandem doctrinam tradit, quamuis propter multiplices distinctiones inuolutius. Angelica summa etsi non penitus clare sit angelico doctori cõformis; non tamẽ eidem difformis est aut aduersa, quoniã multiplici distinctione rem inuoluens in eandem fere recidit verbo Inobedientia. Baptistiana summa verbo lex B. Thomæ doctrinam in obligando conscientiam prorsus amplecti videtur etsi alioqui sit satis spinosa.

Cap. VII.

Gabrielis Biel neruosa doctrina prolixè recitatur.

GABRIEL Biel Theologus nominis non exigui in 4. dist. 16 quæst. 3. de Ieiunio omnium copiosissime & maxime ex professo in hanc rem incumbit, cuius verba non illius tantum sed & plurium grauium tum Theologorum cum Iurisperitorum sententiam complectentia, non pigebit sillabatim adscribere. Notandum est ait, quod præcepta legis humanæ siue positiuæ iustæ, obligant omnes legi subiectos, etiam in foro conscientiæ: vnde sequitur quod eorum transgressio sine causa rationabili est culpa mortalis, etiamsi non fiat ex cōtemptu, sed ex negligentia, passione, aut cōsequendà voluptate, nisi fieret ex surreptione, inaduertentia aut ignorantia excusante. Illud subdit notabile, quia magnum principium est discernendi lepram a non leprà ideo probandum est & declarandum. Probatur igitur quia lex dicitur a ligando, nec proprie diceretur lex nisi ligaret, & probatur authoritate Christi. Luc. 10. Qui vos spernit me spernit qui autem spernit me spernit eum qui me misit; & Matth. 10. ait Apostolis. Amen dico vobis quicunque non susceperit vos neque

Pondus huius quæstionis iudicio Gabrielis.

Arguit potenter ex scripturis.

vos neque audierit ſermones veſtros, tollerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij quam illi ciuitati. Item Matth. 18. Si eccleſiam non audierit &c. In epiſtola Auguſt. 106. vide ad propoſitum authoritates. Sed ſpernens Deum eius mandata non obſeruando peccat mortaliter. Similiter nulli peius erit Sodomis in die iudicij, niſi qui damnatur propter mortale, neque aliquis habendus eſt velut ethnicus & publicanus niſi propter mortale. Ergo non audiens eccleſiam per præcepti eius transgreſſionem peccat mortaliter. Præterea tranſgreſſor præcepti eccleſiaſtici incidit in excommunicationem ipſo facto, ſed nullus excommunicandus eſt niſi propter mortale. c. 2. q. 3 nullus, & cap. nemo epiſcopo. vbi dicit anathema eſt æternæ mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine. Item Matthæi 13. Super cathedram Moyſis ſed. ſcri & Phariſæi omnia quæcunque dixe. vo. facite & ſeruate. Item Deuteron. 17. Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, ex decreto iudicis morietur homo ille. Sed in veteri teſtamento mors non erat infligenda niſi propter tranſgreſſionem præcepti per mortale peccatum. Ergo eiuſmodi tranſgreſſio prçcepti ſacerdotalis eſt peccatum mortale. Ad idem loquitur Apoſtolus ad Rom 13. Omnis anima &c. damnationem acquirunt; damnatio

autem

autem non acquiritur nisi ob peccatum mortale. Item ad Hebr. 13. Obedite prępositis vestris & subiacete illis, & 1. Pet. c. 2. *Serui subditi estote in timore dominis non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Ex quibus satis euidẽter patet quod transgressio præcepti humani obligat ad culpam mortalem. Sic ille concludit efficacissime ex locis scripturæ perquam illustribus: pergit nihilominus ex innumeris pene sanctorum Patrum, Doctorumque scholasticorum, necnon professorum vtriusque iuris, capitibus atque locis. Hæc est etiam sententia Glossæ super illo 1. Petri. 2. Hæc est gratia si propter conscientiam. Item sententia Beati Thomæ 1. 2. quæst. 96. art. 4. vbi dicit Leges positiuæ humanæ iustæ habent vim obligandi in foro conscientiæ a lege æterna, a qua deriuantur secundum illud Prouerb. 8 Per me reges regnant & legum conditores iusta decernunt: etiam B. Bonauent. in 2. circa literam dist. 35. vbi dicit quod qui non obedit prælato peccat sicut qui non obedit Deo. Hoc enim dependet ex mandato Dei quia Deus mandat vt obediatur homini. Ad idem dist. 79. per totum vbi dicitur. Sic omnes sanctiones Apostolicę sedis accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina voce Petri firmatæ, eadem dist. sic omnes. de hoc late tractat D. Anto. part. 2. tit, 17, & 18, ostendens quod non tantum pontificum leges sed etiam

Arguit Gabriela doctrina Theologorum.

etiam humanæ seculares imponunt necessitatem homini ad obseruandum in foro conscientiæ si sint iustæ. Allegat ad hoc Aug. ad Bonifacium comitem dicentem : qui legibus Imperatorum, quæ pro Dei voluntate feruntur obtemperare non vult acquirit grande supplicium. A Theologis transit ad doctores Canonistas. Idem tenet Felinus de constitut. ca. Concupiscentiam quod probat per ca. 2. de maioritate & obedientia & c. quod præcipitur 14. quæst. 1. Notat Bartho. in L. si quis pro eo in 5. membro ff. de fideiuss. et d. Cardinalis post Matth. in Clement. & in vltima columna de vita & honestate clericorum, & in Clement. Dudum de sepult. & Dominicus post Archidiaconum & Ioannem Andreæ in c. detestande de conceff. præb. in 6. etiamsi sit lex principis secularis vt notat Glossa cap. Quis autem dist. 10 : etiamsi sit statutum municipale, vt sentit Glossa 3. in cap, 2, de constitut, in 6, quam ibi; Amplia etiamsi in lege pręceptiua sit alia pœna apposita, secundum Dominicũ in c, perpetuæ in notabilibus,

Argumentatur idem Gabriel a doctrina Canonistarum.

Concludit Gabriel, ex istis patet quam irrationabilis & periculosa est opinio Cardinalis & quorundam aliorum Iuristarum quam recitat Panor. de obseruatione ieiun : Quod transgressio canonis obligat ad mortale quando fit ex contemptu : sed si quis transgreditur ex concupiscentia, ira vel negli-

Concludit magistraliter Gabriel.

gentia, tunc ſolum ligat ad veniale; collige tu pariter irrationabilem & periculoſam opinionem Nauarri, propter maximam cum illorum doctrina, affinitatem. Ideo Panor. cum cæteris reſilit ab illa opinione. Nam ſi hæc opinio procederet, nulla diſtinctio eſſet inter præcepta & conſilia, cum etiam conſilia ligent ſub mortali ad non contemnendum vt dicunt, Bonauent. & Scotus, quod in nullo prælatorum authoritas ſit ſpernenda. Quamuis namque non tenemur prælatis in omnibus obedire, puta non in conſilijs, attamen tenemur nullum eorum mandatum ſpernere. Nec obſtat doctrina Gerſonis de lege humana vt humana, quia loquitur de lege pure humana, vt ſcilicet nihil participat de lege diuina. Nunc autem leges poſitiuæ eccleſiæ & poteſtatum ſuperiorum quatenus iuſtæ ſunt, participant aliquid cum lege diuina quæ præcipit obediendum eccleſiæ. Hæc omnia ferme verbotenus Gabriel, que ideo tam prolixa recenſere volui, quia præter authoris opinionem, ſiluam aliquam & cumulum grauiſſimorum quorumcumque tam Scriptorum Patrum, & Doctorum ſacrorum, quam vtriuſque Iuris profeſſorum primariorum, cum rationibus eorundem complectuntur, cum breuiſſimis & ſolidiſſimis reſponſionibus ad omnia quæ in contrarium obijci poſſent.

CAPVT.

CAPVT. VIII.

Regressus ad doctores recentiores qui magis doctrinam hanc concoxerunt.

SED vt crudiore illa fortassis, antiquorum doctrina seposita ad recentiores scriptores redeamus, qui labore & iudicio magis concoctam & eliquatam doctrinam eamdem nobis tradiderunt, facile namque est addere inuentis: Hermannus Coloniensis Archiepiscopus in catechismo ad parochos suos, quem edidit paulo ante Concilium Tridentinum consilio & iudicio multorum Theologorum & Sanctorum Patrum, aduersus vænenatas hæreticorum doctrinas, in populo spargi coeptas, sic scribit ad quartum decalogi præceptum. Ad hæc magistratibus ex animo obedire debemus, idque propter deum quod scilicet Dei ministri sint, & paulo post: Quinimo B: Paulus adeo seuere præcipit de obedientia, vt doceat peccatum esse criminale non parere mandatis magistratuum, cum inquit, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit &c: Vide plura in eam sententiam conformiter ijs quæ in Concilio Prouinciali a se indicto prescripserat. Iacobus a Graffijs in suis decisionibus aureis lib: *2*: c: *10*: Lex promulgata & vsu recepta obligat in

Concilium colon.

Iacob: a Graffijs.

conscientia subditorum animas, ita vt contrauenientes peccent mortaliter quia edita videtur authoritate Dei per suos ministros secundum illud: *Per me reges regnant &c:* Item aliquanto post num: *12*: verbotenus recenset & approbat conclusiones superius memoratas Dominici a Soto. Magni nominis Theologus Franciscus a victoria relectione 3: de potestate ciuili ad eandem rem sic scribit: Dubitari potest ad quam culpam obliget Lex humana mortalem aut venialem? Respondetur ait ad hoc dubium graue, quoad vim obligandi idem est iudicium de legibus humanis & diuinis: Ad considerandum quomodo & quantum obligent humanę leges, opportet eas considerare ac si essent diuinæ, humana namque lex quæ si esset diuina obligaret ad veniale, obligat & ad veniale, & quæ si esset diuina obligaret ad mortale, obligat etiam ad mortale. Hæc ille, et infra: pro signo obligationis ad mortale ait intuendum an res præcepta vergat in notabile bonum publicum, sicut in legibus diuinis pro notitia peccati mortalis videndum est num transgressio militet contra charitatem. Nobilis ille multorum eruditissimorum scriptorum tum in Philosophiâ tum in Theologia author, ante paucos annos vita functus. Cardinalis illustrissimus Franc: Toletus libello de 7: peccatis mortalibus c: 20: Quanta inquit sit

Franciscus a Victoria.

Iterum Tole: Cardina:

quit ſit obligatio relinquitur grauitati materiæ quæ præcipitur. Nam eoipſo quo aliquid graue præcipitur, includitur intentio obligandi ad mortale. Haud inferior illo doctrina, ſcriptis, & dignitate, Illuſt. itidem Cardinalis adhuc in viuis Bellarminus controuerſia de Laicis c. 11. Lex ait ille, ciuilis non minus obligat in conſcientia, quam lex diuina etſi minus firma ſit & ſtabilis hæc, quam illa. Explico: Lex diuina & humana differunt quoad firmitatem, quia diuina non poteſt abrogari, ab homine, humana poteſt: at quoad obligationem non differunt, vtraque enim obligat in conſcientia nunc ad mortale nunc ad veniale peccatum, pro rerum ipſarum grauitate, ita vt nulla ſit melior regula ad diſcernendum vtrum lex humana obliget ad mortale quam cogitare legem illam eſſe diuinam, & videre ſi diuina eſſet quo pacto obligaret. Probatur primo. Obligatio, vel eſt eſſentia vel propria paſſio legis, ergo omnis lex a quocunq; feratur ſiue a Deo, ſiue ab Angelo, ſiue ab homine, & homine ſiue Epiſcopo, ſiue Rege, ſiue Patre, eodem modo obligat. Probatur conſequentia ex loco ſimilium, nam quia hominis eſſentia eſt rationale & propria paſſio riſibile, omnis homo eſt rationalis & riſibilis, ſiue eſſet creatus a Deo vt Adam, ſiue a Deo ex alio homine vt Eua, ſiue ab hominibus genitus vt Cain. Vbi no-

Bellarm. Cardi:

tandum est quod sicut res cæteræ quoad existentiam pendent ab agente non quoad essentiam, essentiæ namque sunt æternæ: sunt enim quædam participationes possibiles diuinæ essentiæ; ita lex quoad existentiam pendet a legislatore, non enim erit lex nisi dictetur ab eo qui habet authoritatem; at quoad essentiam non pendet, quod enim lex obliget est quid æternum & Immutabile & participatio legis æternę Dei, quę prima est & summa regula Et hoc videtur voluisse Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 27. cum ait. Peccatum est dictum, factum, contra legem Dei æternam: nam siue quis pręuaricetur legem naturalem, siue positiuam, siue diuinam, siue humanam, semper peccat contra legem ęternam, quia omnis lex est legis æternę portio. Hæc Cardinalis, qui præter illam rationem quæ apud eum prima est, alias sex claras & efficaces subiungit Cœterum ex ijsdem verbis nouum, validum, & potens argumentum suggerit ille, contra illam intentionem vanam & futilem obligandi ad mortale, quam toties Nauarrus inculcat. Si namque non pendet lex ab agente causa, id est a legislatore quoad essentiam, id est obligationem (quæ est essentia vel fluit ex essentia legis tanquam propria passio) nec ergo in obligando pendet ab intentione agentis. Si quidem quod intentioni agentis tribuitur, id non

vere

vere ab agente remouetur. Hanc Cardinalis do-ctrinam ex limpidioribus ſacrarum literarum fontibus hauſtam, inſinuauit & ex parte in medium protulit, quiſquis ille eſt qui Nauarri opera ſcholijs, quamuis breuibus & admodum raris illuſtrauit. Is etenim in ſuis notis de ſententijs magis receptis, & a Concilij Tridentini Illuſtriſſimorum Cardinalium congregatione magis probatis, ſignificans hanc quæſtionem maximi eſſe momenti, dimiſſo Nauarro, ad doctrinam ſuperiorem Cardinalis Bellarmini confeſſarios remittit; ſatis innuens authoris quem illuſtrabat locum illum eſſe ſcopuloſum, & cautè timideque legendum, maxime in duabus appendicibus quas ad ſuperiorem aſſertionem adhibet, quibus authoritas legalis (niſi admodum fallor) periculoſe admodum hoc præſertim infœliciſſimo æuo rebellionis amico, nimis viliter & contemptim excipitur.

Ipſemet ſcholiaſtes Nauarri, doctrinam Nauarreã reprobat.

Capvt. IX.

Duæ appendices ad quartam aſſertionem Nauarri, tanquam duæ aliæ aſſertiones, quarum prior hic falſitatis arguitur.

Prior appendix ſuperioris aſſertionis eſt. Conſuetudo inquit, antiqua ita videtur interpretata

præſertim

Eodem c. 23. nu. 55.

præsertim leges seculares, dequarum transgressione non consueuit fieri scrupulus, neque a doctis neque ab indoctis, neque a pœnitentibus neque a confessarijs, neque ab alijs cuiuslibet conditionis, ordinis, sexus, hominibus, nisi cum per eas lex diuina naturalis aut reuelata aut canonica infringeretur. Quæ verba etsi admodum grauiter, serio, & cum pondere magno ab authore prolata, eius pace salua, si non penitus & multipliciter falsa, saltem dubiæ admodum veritatis, tum ex dictis, tum ex dicendis, lectorem non prorsus cœcum & hebetem iudicaturum confido. In primis eodem & pari iure negari potest illa consuetudo interpres quo illam asserit Nauarrus. Scribens ipsemet in distinc. 6. de pœniten. c. Placuit asserit hanc esse communem, dum agitur de consuetudine, cum facti sit, non probari illam authoritate, vnius quantumuis illustris doctoris, imo nec plurium, nec quidem maioris partis eorum, & merito, quia illi non iurati testantur, & testi noniurato non creditur. Secundo quia scriptis deponere non licet.

Vtar hac doctrina Nauarri contra ipsummet: asserenti illi cōsuetudinem quantumuis per orbē illustri doctori, iniurato testi, & per scripta testanti, non credam; maxime cum ille sit singularis testis & vnicus, & mille testes singulares tantum probant quantum

vnus,

vnus, ſecundum Baldum in L. Iuriſiurandi C. de teſtam. & alibi paſſim, ſecundum quem ſcio abſolutum ante annos paucos, reum magni criminis, a venerabili Domino meo Offic. Attrebat. D. Bricourt, qui innumeris teſtibus ſingularibus tantum-non obruebatur. Nego igitur aſſertam a Nauarro conſuetudinem, cuius nemo Doctorum præter ipſum meminit, & aſſero contrariam. Doctiſſimi etiam vt vidimus Theologi nobiſcum dicerent, minime verum eſſe quod ait idem, a doctis non fieri ſcrupulum ſuper violatione legum ciuilium quatenus tales ſunt, id eſt ſi non contineant prius & altius ius. Negatur etiam illud non fieri ſcrupulum de eadem re, neque a pœnitentibus, neque a confeſſarijs, cum omnes Deum timentes & non proiectæ conſcientiæ pœnitentes, de edictis principum & magiſtratuum etiam pœnalibus a ſe non ſeruatis accuſare ſe, nec minus ipſi confeſſarij eoſdem excutere ſoleant, ſi quando occaſio tulerit; vt nuper experti ſumus in Celſitudinis ſuæ edictis ſuper caſeo, piſcibus, numiſmatum valore & ſimilibus, vt ſint perpauci ſcilicet neque Deum, neque homines timentes, qui religione aliqua legum iſtiuſmodi violatarum non tangantur: vnde nec opus erat tanta exaggeratione nec vera nec veriſimili, ſcilicet non fieri ſcrupulum, ſuper præfatarum legum violatione

ab vllis cuiuslibet conditionis, ordinis, sexus hominibus, quæ clausulæ singulæ singulas legum luxationes & eneruationes complectuntur. Emplastrum illud & malagma exceptionis, nisi cum per eas diuina lex aut naturalis infringuntur, id inquam malo non medetur. Non enim hoc quæritur, quomodo leges humanæ subsidio & beneficio alieno, sed sua vi, suapte natura & quatenus humanæ sunt obligent: namque ea ratione ope duntaxat materiæ legis diuinæ illis obligandi vinculum relinquere, hoc illud est, illas prorsus quatenus tales & humanæ sunt, legis nomine & honore spoliare. Lex etenim a ligando non vtique ad pœnam præcipue, sed primo & maxime ad culpam vocitata est; vnde consurgit & obligatio ad pœnam, tanquam effectus ex causa. Quæ doctrina, in eo quod ad obligationem legis humanæ, materiam legis diuinæ aut naturalis accersit, vtique affinis est Gersonicæ doctrinæ, ab omnibus catholicis doctoribus exhibilatæ & pro erronea habitæ. Affinem dico non prorsus eandem, nam Gerson vniuersim docuit legem humanam vi sua quatenus talis est nullatenus posse ligare conscientiam nec ad culpam venialem quidem, nedum mortalem, prout accepisse videtur Franciscus a Victoria loco superius citato. At Nauarrus agnoscere videtur de veniali dum negat de mortali. Nos ad

vtramque

vtramque reſpondemus ligare humanas leges, etiam quatenus tales ſunt, humanæ videlicet, etiam ad mortalē inquam, quamuis non independenter ſicut leges diuinæ, ſed dependenter ſicuti ignis vrit, aqua humectat & refrigerat ex ſe & vi ſua, & cæteræ res naturales eodem modo operationes ſuas peragunt, dependenter a prima cauſa. Deteximus in ſuperioribus occaſionem huius doctrinæ inde profectam, quod non ſatis videantur illi penetraſſe vim illius reduplicę quatenus humanę: Exiſtimaſſe namque videntur illam reduplicationem & formalitatem legis humanæ, excludere omnem rationem diuinæ legis, quod falſum eſſe diximus. Quia lex humana etiam formaliſſime, vt ita loquar, conſiderata ſemper inuoluit aliquid diuinum ex parte poteſtatis ſeu magiſtratus a Deo inſtituti, cum obligatione ſubditorum ei parendi, vt non repetam communem illam materiam iuſtitiæ, vtilitatis, ac neceſſitatis publicæ, quæ omni legi re vel opinione ſubiacet; vt præterea taceam in omni veri nominis lege infringenda violari ſimul tum legem æternam a qua deriuatur, tum rationem a qua dictata eſt. Qua ratione etiam Ethnicus Cicero, legem vocat nunc rationem mentemque ſapientis, alias rectam rationem ſummi Iouis, aliquando naturæ vim, mentem & rationem prudentis, iniuriæ regulam, ad quam

pertineat salutem ciuium, ciuitatumque incolumitatem, ac vitam hominum quietam continere. Quibus verbis de legibus humanis sine descrimine loquitur. Quid igitur ais Nauarre? contra salutem & incolumitatem ciuium, ciuitatum, populorum, contra rationem mentemque sapientis, contra insitam & insculptam naturæ vim & lucem, contra Dei legem æternam, humanas leges transgrediendo agere non crimen, sed duntaxat peccatulum & offensiuncula fuerit? Affinis est præterea hæc Nauarri doctrina, doctrinæ illorum, qui leges humanas nolunt ligare nisi in casibus scandali & contemptus, reciditque ea ratione denuo ex obliquo in opinionem Gersonicam. Nam quod Gerson vniuersim dixit ligare humanas leges solum in materia legis diuinæ, id isti dixerunt magis contracte ligare in solis casibus scandali & contemptus. Iam vero contemptus & scandalum peccata sunt in legem naturalem & diuinam. Ergo obligare in casibus scandali & contemptus, id obligare est in casibus legis diuinæ. Metuẽdum est etiam ne viam sternat doctrina Nauarri, opinioni illorum, qui volunt leges humanas etiamque ecclesiasticas, non nisi ad venialem offensam, vel quod pestilentius est, ad pœnas duntaxat legales obstringere. Nam dum in articulo seu assertione ait leges humanas præsertim seculares,

videtur

videtur complecti velle eccleſiaſticas, quamuis minus, quam ſeculares. Dum præterea ait nullum ſcrupulum fieri ab vllo hominum genere, ſuper infractione huiuſmodi legum, omne peccatum etiam veniale excludere videtur. Fit namque ſcrupulus non ſolum de mortali, ſed etiam quamuis minus de veniali, præſertim cum ſint quædam venialia cæteris grauiora & mortiferis proxima. Reſtabit igitur vt huiuſmodi leges ad ſolas pœnas legales ligent. Nam etſi hoc non expreſſe quinimo contrarium doceat Nauarrus, id tamen adeo molliter & languide tradere videtur, vt non admodum obſcure in eam ſententiam quibuſdam videri pendere non immerito poſſit. Eam ſententiam, leges humanas obligare ad ſolas legales pœnas, alicubi recenſet & refellit a Victoria tacitis authorum nominibus. Ego vero illam hæreticam ac hæreticorum eſſe nunquam dubitaui. Refutauimus alibi prolixe & ex profeſſo tractatu priori de quinque præceptis eccleſiæ, falſas quatuor opiniones de poteſtate legum humanarum, præter illas, quæ continent confeſſas & damnatas hæreſes, videlicet primam de obligatione ad ſolam pœnam, Secundam de obligatione ad ſolum veniale peccatum, Tertiam de obligatione ad mortale in caſibus ſolis contemptus & ſcandali, Quartam Gerſonicam in ſolo caſu materiæ

legis diuinæ: quarum omnium perniciosissimam, periculosissimam, & hęresibus nostrorum temporũ vicinissimam semper iudicaui, quę prima est, quæ videlicet ad pœnam solam respicit, ideoque cum omnibus alijs doctrina Nauarri periculose faueat quamuis tecte necita euidenter, attamen catenus potissimum cauendam censeo, quatenus ad illam accedit quę vinculum ad solas pœnas, in legibus humanis agnoscit. Sane Lutherus hac erronea opinione imbutus, orbem seduxit, fascinauit, demẽtauit, constitutiones humanas non obligare nisi ratione scandali aut iuris diuini in eis contenti, vel etiam ad pœnas luendas, cuius quidem doctrinæ semina non desunt viri doctissimi (in quibus est Alphonsus a castro) qui putent illum ex Gersonica schola hausisse, haustaque additione vocis expresse amplificasse, a quibus errorum portentis catholicos doctores longissime recedere par est, vt nihil nec in externo verborum cortice suum in nobis agnoscant hæretici.

CAPVT. X.

Posterior appendix refutatur.

POSTERIOR Appendix eiusdem assertionis quartę, non minus quam prior legum omnium humanarum

humanarum eneruatrix, hęc eſt. Credimus inquit, quod conſuetudo communis non ſolum plebeiorum & indoctorum, ſed etiam nobilium & doctorum habet, non reputari in foro interiori peccata mortalia, tranſgreſſiones legum pure humanarum aliquam pœnam temporariam continentium in foro exteriori, niſi ſint tales quę pręſupponant peccatum morrale. Nec tranſgreſſiones aliarum legum non pœnalium factas per ignorantiam non craſſam, nec affectatam aut optatam, ſed per incuriam & obliuionem leuis culpæ, aut cum cauſa probabili vera, aut pro tali habita, ſine dolo, aut credendo, intentionem Legiſlatoris non fuiſſe ita obligare in tali caſu. Prior appendix legi humanæ vt tali omne vinculum peccati mortalis adimebat expreſſis verbis, hæc non adimit quidem verbo, ſed reipſa multo magis. Tantus namque tam multarum exceptionum, tam ſtudioſe vndecunque quæſitarum & cumulatarum aceruus, haud ſcio an vlli legi vllam vim obligandi ad venialem nedum ad capitalem offenſam, relinquat. Quis eum legem aliquā tranſgreſſus, prętexere non poſſit cauſam aliquam veram vel probabilem, vel pro tali habitam, aut aliquam credulitatem qua non putauit leges eo in caſu ligaſſe, aut denique incuriam aliquam ignorantiamue, vel etiam obliuionem, quocunque ſcilicet horum occurrente, iudicio

Enchirid. c. 23. numero. 59.

iudicio Nauarri leuiter duntaxat offendit qui legem humanam infringit, quamuis inquit; illa statuat pœnam amissionis magnorum bonorum, etiam famæ & alicuius membri, vel etiam vitæ. Quod postremum durissimum mihi videtur, tum quia quicunque extra articulum necessitatis se exponit magnis illis periculis mortaliter peccat in legem diuinam & naturalem etiam deficiente humana, ergo multo magis illa existente; tum quod nullus legislator nisi insipiens prorsus aut improbus pœnas eiusmodi graues mutilationis, exilij perpetui, mortis, legibus adijcit, nisi res de qua agitur reipublicæ magnopere intersit, & id omnis bonus ciuis ita sibi persuadere debet: vnde eiusmodi violans legem, quantum attinet ad naturam rei, peccati mortalis maculam contrahit, dum corpus politicum graui damno, suo facto afficit. Est namque regula apud doctores Theologos, damnum aut malum graue illatum priuato in corpore, honore, aut fortunis, capitalem noxam perpetuo comitem habere, nisi præter animi votum iudiciumue factum contigerit, quanto magis si communis Reipublicæ violetur potestas aut potius maiestas, si publicum lædatur bonum, si mens illa sapientis communibus præsidens rebus pro nihilo ducatur, quod accidit in omni legis humanæ transgressione, nisi de re leuiuscula lata

fuerit.

fuerit. Credimus inquit Nauarrus quod consuetudo communis habeat tam indoctorum quam doctorum plebeiorum & nobilium &c. Credimus nos, & si non fallimur, rationibus & authoritatibus luculenter probauimus, consuetudinem iudicandi eruditissimorum Theologorum esse contrariam, eamque diuinis literis consonam. Si de stilicidio, aquæductu, itinere præscribendis ageretur, fateor in eo docti & indocti, probi & improbi, plebei & nobilis, parem fore rationem. Quod vero ad probandam consuetudinem iudicandi, de re omnium grauissima conscientiæ, aduocat Nauarrus indoctos, plebeios, sexum muliebrem id inopiæ probationis adscribo. Honori causæ a se susceptæ melius consuleret si ad commune prudentis iudicium cum Aristotele, boni viri cum Iurisperitis, pij eruditi & Deum timentis cum Theologis iudicium referret; præsertim cum confiteatur se loqui de iudicio fori interioris, cuius dum meminit tacite innuit in foro fori eiusmodi legum humanarum violationes iudicari capitales; in quo tribunal illud sacratissimum conscientiæ internum sæcularibus potestatibus, quamuis nolens odiosum reddit; quasi vero in eo habeantur pro leuibus erratulis, pro quibus subinde secularis potestas pœnas infamiæ, exilij perpetui, aut etiam mortis infligit; cum infallibilis regula sit ait

H Dominicus

Dominicus a Soto lib. 1. de iustitia & Iure quæst. 6. art. 5. principem non posse cuiquam infligere pœnam grauiorem capitis, mutilationis, exilij, nisi pro transgressione læthali. Vel ergo delirat in iudicio suo facultas ecclesiastica iudicans culpam leuem, vel iniqua est secularis ob culpam leuem inferens mortem. Respondet Nauarrus legislatorem hoc casu præsumere contemptum legis. Contra dico, Sua sententia iudex non contemptum sed factum & commissum in legem, condemnat & vindicat. Ad ignorantiam quod attinet si inculpata sit, excusare peccantem a toto vel a tanto (vt loquuntur) fateor lubens, incuriam vero quæ negligentiæ peccati significationem habet, similiter vt vult Nauarrus, læthalis peccati tollere maculam, id constanter nego. Siquidem negligentiam dissolutam esse dolum siue crimen doli, Iurisconsulti etiam ethnici tradiderunt. Expressus est textus ff. mandati L. fideiussor dissoluta ait negligentia prope dolum est. Et alias ff. de Action. & obligat. L. 1. § Is quoque. Magnam ait lex, negligentiam placuit doli crimine cadere. Itaq; tantum abest vt transgressionem legis humanæ purget a reatu mortiferi peccati, vt ipsa cum sit peccatum capitale, peccatum læthale conduplicet. Vulgaris & non dissoluta negligentia, cum & ipsa macula peccati quamuis non læthalis sordeat, qui possit

Dissoluta negligẽtia dolus est.

sordes

ſordes grauioris peccati abſtergere aſſequi ſatis nequeo. Diuus Anto. tractatu de prima filia inanis gloriæ quæ eſt inobedientia. Qui facit ait, contra præcepta diuina vel humana ſumendo proprie præceptum vt differt a conſilio, etiamſi non faciat ex contemptu ſed ex negligentia, peccat mortaliter. Hæc ille. Loquitur indubie ſanctus de negligentia non diſſoluta ſed leuiori, quia illam opponit contemptui, cum diſſoluta æquiparetur vt dictum eſt dolo, ac proinde contemptui. Idem ibidem. Facere aliquid contra præceptum diuinum vel humanum non ex cõtemptu, ſed ex paſſione mortale eſt. Sumo ego; atqui incuria ſeu negligentia genus eſt paſſionis, videlicet tædij ſeu faſtidij ex virtutis actione. Conformem audiuimus in ſuperioribus doctrinam Gabrielis, tranſgreſſio præceptorum humanorum inquiebat ſine cauſa rationabili, eſt culpa mortalis etiamſi non fiat ex contemptu, ſed ex negligentia & paſſione, niſi fuerit ex ſurreptione vel ignorantia excuſante. Facit pro hac interpretatione regula ſuperior Silueſtri & communis vt videtur, nullam exceptionem admittens quæ excuſet tranſgreſſores legis humanæ a peccato mortali, niſi cauſæ iuſtæ ſeu rationabilis, quæ regula eo magis recipienda eſt, quod leges humanę vt ſæpius ex ſaniorum Theologorum doctrina inculcauimus in obligandi vin-

culo ad mortale aut veniale a diuinis non distinguantur. Conformia sunt hæc quæ de legibus & earum potestate dicimus, ijs quæ tradit Michael Lochmaier sacræ Theologiæ & iuris Pontificij Doctor in suo parochiali de præcepto audiendæ missæ parochialis c.5.Querit vtrùm quilibet parochianus sub pœna peccati mortalis ad audientiam missæ in sua parochia diebus dominicis & festis sit astrictus. Soluit. Non audire ait, missam diebus dominicis & festiuis in ecclesia parochiali potest esse peccatum mortale, aliquando veniale, aliquando nullum. Nullum si causa suppetat legitima, veniale cum alibi audit non ex causa omnino legitima. Tunc autem est peccatum mortale cum omittit ex contemptu vero vel interpretatiuo, & voco ait, contemptum interpretatiuum quando sine causa legitima alibi audit. Hanc doctrinam quàm notat author esse communem doctorum in cap. vt dominicis De parochijs & alien. paroch. quidni ad omnes leges ecclesiasticas & politicas nonnullius momenti trahamus? vt earum infractio sit semper mortifera omni causa legitima deficiente, sic vt incuria seu negligentia etsi vulgaris noxæ, capitalis reatum tollere non possit. Nam cum supponamus leges de rebus vtcumque magni momenti, tenetur quilibet pro magnitudine rei curam & diligentiam afferre

magnam

magnam,quæ excludat etiam leuem incuriam. Diſpenſare poteſt quilibet in legibus, & interpretari eas caſu ſubito occurrente neceſſitatis, maxime cum ad ſuperiorem recurſus non poteſt haberi C, ſi ergo *1.* quęſt. 1. extra illum articulum diſpenſare non poteſt niſi ſuperior, hoc diſcrimine inter ſuperiores obſeruando, vt qui clauum totius Reip. moderatur, Summus pontifex, Imperator, & Rex, poſſit eorum quilibet in ijs quæ ſuæ iuriſdictionis ſunt, vtens pro ratione voluntate ſine cauſa aut cauſæ cognitione legum vincula relaxare; cœteræ vero inferioris gradus poteſtates nonniſi cognita cauſa id facere poſſunt. At Nauarrus in eo ſui obliuiſci videtur, quod paſſim & ſine rerum diſcrimine, committere videatur priuato cuilibet in foro prĉſertim conſcientię, tum cauſę diſpenſandi cognitionem, tum ipſam diſpenſationem, & quidem circa quamuis cuiuſuis ponderis legem humanam: contra omnem iuris diſpoſitionem, qūæ arctiſſime vetat quempiam in propria cauſa eſſe iudicem, id quod eo abſurdius eſt, quod cauſam agendi contra legem vt vitetur peccatum mortale non exigat, niſi qualemcumque veram vꝫ probabilem, vel pro tali habitam, ab eo ſcilicet pro tali habitam (vt patet ex diſcurſu textus) qui legem infracturus eſt, Idem cenſet de interpretatione dum quemlibet virum, mulierem, doctum,

 indoctum,

indoctum, iuuenem, senem, probum, improbum (non enim distinguit) facit legum interpretem, sic vt ad declinandam mortiferam noxam possit interpretari legem, non fuisse mentem Legislatoris obligare in hoc illoue euentu. Quid hoc aliud quam vniuersum corpus legum & Iuris vtriusque mutilare, vulnerare, dissipare? Nam si dispensatio sine causa rationabili facta, dissipatio dicitur, & quomodocumque etiam cum causa iusta, vulnus secundum canones sacros ideo censetur quia per illam ius commune vulneratur c. Ipsa pietas 23. quæst. 4. quanto iustius priuatas illas Nauarri priuata authoritate factas interpretationes & dispensationes quibus aliquis ex causa, siue rationabili, siue irrationabili, siue vera siue verisimili, siue probabili, siue dũtaxat pro eiusmodi habita, secũ vt sine noxa legẽ infrĩgere posſit dispensat: quanto inquam iustius istiusmodi dispensationes dixeris esse legum disſipationes, vulnerationes, imo etiam abrogationes & abolitiones?

Capvt. XI.

Accessus ad conclusionem.

Porro tota hæc disputatio de obligatione legis humanæ, quamuis in vtraque, ecclesiastica & ciuili potestate, veritatem apud me indubitatam obtineat

obtineat, ſunt tamen quatuor vel quinque quæ ecclesiaſticam poteſtatem multo magis ſuos ciues quam ciuilem, vinculis peccati læthalis innodare conuincunt: Sunt autem illa, finis, materia, geminus legiſlator Deus & homo, via qua illa hominum generi collata eſt. Ciuilis poteſtatis finis proximus eſt, huius vitæ tranquillus ſtatus, eccleſiaſticæ politiæ ſcopus eſt beata in æuum ſempiternum vita. Ad materiam quod attinet leges politicæ de ſtillicidio, de aquæductu, familia herciſcunda; leges eccleſiaſticæ de peccatorum expiatione de operando ſacris, de tremendis myſterijs adorandis ac religioſe percipiendis & ſimilibus feruntur. Poteſtas legiſlatrix politica a Deo quidem procedit ſed via naturæ per ratiocinationem humanam, ideoque communis eſt omnibus etiam barbaris nationibus, de qua ſcribitur. Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Et illud Regis Ioſaphat ad magiſtratus inferiores 2. Paralip. 19. Non enim exercetis hominis iudiciũ ſed Dei: Aſt poteſtas eccleſiaſtica legiſlatrix propria eſt populi fidelis, non communis nationibus, tota re & origine diuina, non per hominem, non per prophetas, non per Apoſtolos, non per Angelorum hierarchas ſupremos, ſed per ipſum Dei vnigenitum primo erecta & conceſſa, & prout conſtat, non aliqua voce naturæ ſed oracu-

laribus

laribus istis verbis eiusdem Dei sobolis sacrosancto ore effatis. *Qui vos audit me audit. Qui vos spernit me spernit* Item: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Sicut misit me Pater & ego mitto vos.* Accedit quod etsi vtrique potestati adsit numinis fauor & operatio, nescio quo tamen modo magis singulari spiritussanctus regit dirigit legislatricem potestatem ecclesiasticam, faciens eius leges suas, vnde B. Augustinus epistola 118. de lege ecclesiastica non sumendi cibi communis ante eucharistiam. Ex hoc enim ait placuit Spirituisancto, vt in honorem tanti sacramenti in os christiani prius Dominicum corpus intraret quam exteri cibi. conformiter Apostolis de alia constitutione ecclesiastica loquentibus. Visum est aiunt spiritui sancto &c. hinc alibi notauimus tractatu priori dequinque ecclesiæ præceptis ex B. Augustino, Gregorio, & alijs deinceps sanctis, doctoribus & pontificibus, sacros canones nomine iuris diuini appellari, qui modus loquendi in ciuilibus legibus est inauditus.

Si igitur leges humanæ ciuiles de suo genere obligant ad mortale, frement quamuis Nauarro, quanto magis ecclesiasticæ tot modis diuinæ nimirum spectatis fine, materia, legislatore duplice Deo & homine; via etiam cœlestium oraculorum per quam ad nos delatę sunt. Vnde sancte admodum pie & erudite

& erudite Concilium Moguntinum. 3. c. 48. doctrinam a nobis confutatam, ad ecclesiasticas præsertim leges quod attinet, prorsus disperdit & dissipat. De constitutionibus inquit ecclesiæ, quæ ad disciplinam ecclesiæ continendam, ad bonum & decentem ordinem in ecclesia tuendum & conseruandum, & ad pietatem publice & priuatim promouendam introductę, sunt, Pastores plebem sibi comissam probe & diligenter instruant, vt discant eas ab ordinata potestate conditas velut Dei ordinationes (notate dicendi formam, velut Dei ordinationes) reuerenter agnoscere & gratanter eisdem obedire. Siue hæ constitutiones seruentur ex consuetudine quam Paulus violari non vult. Si quis vult inquit contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus nec ecclesia Dei, siue tradantur scriptis canonibus, quales Apostoli spiritu sancto tribuere non verentur. Notate denuo scriptas ecclesiæ leges, Apostolos tribuisse authori spirituisancto. Visum est inquiunt spiritui sancto & nobis. Itaque plebs christiana ecclesiæ constitutiones nequaquam vt traditiones hominum (quales erant Pharisæorum ad subuersionem legis diuinæ adinuentæ quibus Deus frustra colitur) aspernentur, Sed vt ad pietatem colendam & continendam in officio plebem vtiles libenter amplectantur, nec eas existiment sine

grandi periculo violari posse. Notate verba sine grandi periculo non violari leges ecclesiæ; considerantes etsi hoc in præceptis diuinis non continetur quod tales maiorum nostrorum constitutiones iubent, tamen vt maioribus obediamus (saltem in his quæ legi diuinæ non aduersantur) differti iuris diuini est. Vnde talium constitutionum transgressiones, grandis peccati reos faciunt, & temerarios violatores (notate grandis peccati reos) maxime dum cum contemptu aut cum scandalo charitatem violant, quorum vtrumque per se peccatum mortale operatur. Hæc omnia si vt negotij longe omnium maximi pondus merebatur, iudicio graui, quo pollebat, eruditione rara qua præditus erat, rerum vsu, quo præ alijs scriptoribus multis valebat, mature Doctori Nauarro expendere libuisset, nunquam vsque adeo circa leges humanas hominum conscientias laxasset, aut sane ecclesiasticas tanquam non mere & absolute humanas, sed multifariam diuinas, & sic a sacris Doctoribus & canonibus crebro vocitatas longo internallo ab alijs seiunxisset.

CAPVT.

Capvt. XII.

Argumentum contra superiora.

VERVMENIMVERO contra hæc obijciet nobis quispiam hanc doctrinam, haustam esse ex diuinarum literarum fontibus necdum satis liquere, cum tamen id iam sępiuscule insinuauerimus. Euadent hæc quæ diximus luce meridiana clariora ex inspectione & diligenti discussione doctrinæ Apostoli Rom. 13. Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit; vbi non attinet admonere animam secundum phrasim hębraicam dici totum hominem. Et illud sublimioribus græce non esse comparatiuum sed positiuũ & idem significare atque superioribus; sicut legit B. Hieron. epistola ad Titum ad verba: Admone illos principibus subditos esse & August. contra 2. Gandentij epistolam cap. 12. Sensus igitur Apostoli hic est. Omnis homo pareat suis superioribus quibuscumque, quæ lex Apostolica & diuina omni humano mandato legitimæ potestatis substernitur, illud antegreditur, assidue comitatur, in eoque indiuulse includitur, quo fit vt veræ legis humanæ transgressio, sit semper legis diuinæ quæ in ea includitur, simul violatio, etiam in his quæ alioqui res-

Ad argumentum responsio.

In fauorem legum hũ. late & sigillatĩ discutitur initium capitis: 13: ad Roma: ac primo illud

Omnis anima pot. sublim. subd. sit. pectu diuinæ legis erant adiaphora, contra imaginationem illam Nauarri qua considerat humanas leges seclusas & separatas a diuinis, quas vt tales vult non ligare ad mortale, quæ inquam imaginatio fatua est, falsa est, erronea est. Adijcio ego in omni lege veri nominis humana, includi non modo legem illam Apostolicam & diuinam omnis anima potest. sublim subdita sit: sed præter legem diuinam (quam positiuam vocant) contineri quoque legem illam eandem quatenus est naturalis. Siquidem Apostolus eo loco non tam edicit, sancit aut iubet, quam docet, declarat & promulgat legis naturalis edictum de morem gerendo ijs qui in nos potestatem habent. Ex quo sequitur, vt qui a lege humana etiam quatenus talis est vinculum peccati mortiferi remouet, idem pariter a lege naturali excludat.

2 *Non est potestas nisi a Deo.* *Sap. 6.* *Prouerb. 8.*

Sequitur in Apostolo. Non est enim potestas nisi a Deo, cui conformia sunt hæc. Præbete aures qui continetis multitudines, quoniam, data est vobis potestas a Deo & virtus ab altissimo. Per me reges regnant & legum conditores iusta decernunt. Eodem quoque pertinet illud quod dominus Pilato dixit: non haberes potestatem aduersum me nisi datum tibi esset desuper. Loquitur autem scriptura de potestate secundum seipsam, & ab homine qui eam accipit, vel ea vtitur non recte & legitime seiuncta.

ſeiuncta. Eiuſmodi ergo poteſtas id eſt vt ſic loquar ſuperioritas, ſeu maioritas, ſi a Deo eſt, ergo etiam inferioritas id eſt obligatio obediendi inferioris ſeu ſubditi reſpectu ſuperioris a Deo eſt, cum iuxta dialecticos relata ſint ſimul natura, vnde titulus iuris ſapienter coniunxit maioritati obedientiam. De maioritate ait, & obedientia. Vnde 2. argumentum ſuppeditatur contra illos, qui reipſa ſeparant legem humanam a diuina. Pergit Apoſtolus. Quæ autem ſunt inquit, a Deo ordinata ſunt, apertius græci habent in fœminino, Quæ autẽ ſunt poteſtates, ordinatæ ſunt, id eſt inſtitutæ cum ordine obſeruãdo inter poteſtates ipſas & ſubditos, quaſi dicat. In his quæ ſunt diuerſi gradus quorũ vnum maius, alterum minus contentũ in illo maiori, neceſſum eſt vt inter ea ſit ordo, qui ſecundum diuum Auguſtinum eſt parium diſpariumque rerũ cuique loca diſtribuens diſpoſito: Deus enim eſt ipſa ſapientia cuius eſt omnia ordinate diſponere. Hoc eſt enim Argumentum. Si namque Deus inſtituit ordinẽ inter ſubditos & magiſtratus ſiue principatus aut poteſtates, vtiq; voluit illos ſubditos magiſtratib[9] parere; cum alioqui iſtiuſmodi ordinis inſtitutio ſuperuacanea eſſet futura, nihil autem in diuinis operibus vanũ & incaſſum admittere oportet. Clarius & vrgentius eſt quod ex dictis infert Apoſtolus: cum enim dixiſſet omnem

3 *Quæ a Deo ſunt ordinata ſunt.*

4. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.*

prælaturam siue authoritatem publicam siue superioritatem ac proinde obligationem obediendi superioribus esse a Deo authore & institutore istiusmodi ordinis præcipiendi & parendi inter homines: infert modo eos homines subditos, qui hominibus, suis superioribus iubentibus sunt immorigeri, vere Deo esse immorigeros, ac fieri reos eiusdem criminis, ac si Deus ipsemet ijsdem præcepisset, & qui resistit ait, Dei ordinationi resistit. Vnde Samueli dixit. Non te abiecerunt sed me, & Christus. Qui vos spernit me spernit. Et hoc est clarissimum argumentum quo probamus pari modo leges humanas tam politicas quam ecclesiasticas ligare ad mortale, si modo materia grauis existat, quemadmodum nec lex diuina ligat ad culpam læthalem, si de re sit minus graui, vt de mendacio iocoso. Caue autem ne putes verbo resistendi significari oppositionem quandam & rebellionem in potestates insurgentem: illa namque nimis manifeste ad crimen & læthale peccatum spectat, sed meram & nudam inobedientiam etsi subinde aliquo velamento ignorantiæ & oscitantiæ tectam intellige ea voce significari. *Clarissime deinde* & remota omni ambiguitate grauitatem, peccati huiusmodi Inobedientiæ legi humanæ non præstitæ, designat Apostolus in confusionem Nauaristarum omnium dum subdit.

1. Reg. 8.

Qui resistunt sibi damnationem acquirunt.

ſubdit. Et qui reſiſtunt id eſt qui non obediunt legibus humanis, ipſi ſibi acquirunt, damnationem ſcilicet æternam, iuxta diuum Auguſtinum, ex quo ſequitur peccare mortaliter. Chryſoſtomus duplicem habet commentarium. Prior eſt. damnationem ſibi acquirunt apud magiſtratum. Alter eſt, acquirunt ſibi damnationem apud iudicium Dei, qui non vulgares inquit, pœnas repoſcet, ſed quam maximas, qui ſimiliter cõmentarius indicat peccatũ mortale. Cõmentarius Ambroſio aſcriptus eſt, vnuſquiſque ſuis operibus iuſtificabitur aut condemnabitur, valde aperte ſignificans peccatum mortale. *Neque minus clarum* eſt quod paulo poſt ſubijcit deſignando in ſpecie mortiferi peccati reatum. Itaq; inquit neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, id eſt pœnam ab homine iudice inferendam, ſed etiam propter conſcientiam culpæ videlicet læthalis incurrendæ per tranſgreſſionem humanæ legis. Valde terrere debent verba hæc (ait Salbout) omnino enim ſonant tranſgreſſionem legum humanarum eſſe peccatum mortale. Nomen enim conſcientiæ vſurpat ſcriptura vbi agit de peccato mortali, non ſic cum de veniali ſermo eſt. Eandem obſeruationem habet Benedictus Perer. in illum ipſum ſcripturæ Paulinæ locum qui pro confirmatione addit. Conſideret ait lector, illam Beati Petri

6 *Neceſsitate ſubditi eſtote non ſolũ propter iram, ſed propter cõſcientiam.*

in 1.

& ecclesiasticæ quoad obligationem sub mortali. Quinimo totus hic locus, siue materiam subiectam siue commentationes veterum doctorum spectes, ex mente Apostoli multo magis ad leges politicas quam ad ecclesiasticas pertinet. De materia subiecta, patet ex mentione gladii, item ex mentione tributorum. De veterum commentariis vide Augustinum epistola 54. ad macedonium, Chrisostomum in hunc ipsum locum epistolæ Paulinæ ad Rom. 13. Basilium libro de constitutionibus Monachorum cap. 23. cuius verba plurimum ad hanc rem totam pertinentia, iuuat hic adscribere. Paulus inquit, Apostolus in ea epistola quam ad Romanos scribit, ipsis præcipit vt sublimioribus potestatibus subiecti sint: potestates autem ait, intelligit mundanas & seculares; non autem spirituales, quod manifestum fit ex eo, quod mox adiunxit cum de tributis & vectigalibus locutus est, quo tamen loco ait qui vel minimum potestati resistit eum Deo ipsi resistere. Si igitur qui huic mundo præsunt & a lege humana illam potestatem imperandi habuerunt, & quorum tota vita tunc erat impietas, nihilominus tamen istis diuina lex Christianos tantopere voluit esse subiectos: quanto magis cultoribus pietatis præstanda est obedientia, ei qui a Deo constitutus est præses & imperandi potestatem accepit? Videtis

Ex commẽtariis veterum doctrina paulina magis directe & expresse ad leges politicas spectat quam ecclesiasticas.

Basilium hunc locum interpretari de solis ciuilibus, ob rationem materiæ subiectæ, & ex ciuilibus legibus argumentum ducere per locum a minori ad maius, ad obligationem legum ecclesiasticarum. Quod si accurate perpẽdit Dominicus a soto mirũ est, qui dixerit obligationem ecclesiasticarum legum ad mortale esse manifeste fidei, non autem perinde euidenter politicarum, cum inquam totus ille Apostoli locus magis ac pene solum pro robore ciuiliũ legum militet. Quamquam non negauerim cum sancto Basilio per argumentum a minori ad maius, etiam ad ecclesiasticos extẽdi canones, prout etiam extendit ibidem Basilius præsertim inquit cum Apostolus aperte iubeat in omni re obsequi spiritualibus præpositis dicens. *Obedite præpositis vestris et subiecti estote eis &c.* Maligne igitur hoc loco in catholicos inuehitur Caluinus, atque eos inique carpit, quod inepte, atque inscienter hac Apostoli sententia probare atque confirmare velint, obedientiam ecclesiasticis delatam legibus. Tota enim inquit, hæc Pauli disputatio de ciuilibus est præfecturis. At enim *S. Basilius* vir diuinarum scriptuarum & doctrinæ Apostoli haud paulo intelligẽtior & doctior ex hoc loco Pauli, obediẽtiam quæ debetur prælatis ecclesiasticis optime probari & concludi censuit sicut verba eius seperiora manifestant

feſtant. Concludamus igitur tanquam fidem catho-licam confitendum eſſe, leges humanas tam eccle-ſiaſticas quam ciuiles, obligare in foro conſcientiæ genere ſuo ſub reatu mortiferi peccati, eiuſque ideo contrarium ſalua fide tuto aſſeri non poſſe.

TRACTATVS DE VI, POTESTATE, ET OBLIGATIONE LEGVM HVMANARVM.

PARS SECVNDA

Capvt. I.

Secunda quæstio, An extra omnem aleam controuersiæ sit, eiusdem Doctoris Nauarri de lege pœnali, sententia.

EX præfata igitur assertione quarta neque non ex vtraque eiusdem appendice, & maxime ex multis rationibus quibus eadem assertio munitur, plusquam manifestum euadit, doctrinam hanc esse Nauarri, nullas leges pœnales siue mistas siue pure pœnales obligare ad culpam presertim læthalem: sic

Nauarr. in Enchri: c. 23. dist. 6. & 8.

ſic enim Nauarrum intellexit Azorius lib. 5. Inſtit. c. 6. & cum eo Card. Tol. de ſeptem pec. mort c. 10. quæ doctrina etſi minus aliquanto quam ſuperior periculoſa ſit, propterea quod in aucipiti opinione clariſſimorum vtriuſque iuris, necnon ſacræ paginæ doctorum diſputatione, verſetur; attamen nec ipſa adeo ſecura & tuta exiſtit, quin contraria longe ſecurior monſtrari poſſit, quod denuo præfandum exiſtimaui ne quis Nauarri doctrinam tanquam oracularem veneratus, contrariam quæ plures habet aſſertores, grauiores, & ſolidiores faſtidiat. Cauſa vero doctrinæ Nauarri de lege pœnali, nata videtur ex occaſione particularium clientum ſeu conſultorum tranſgredientium leges, quæ inhibent ſub pœna graui eductionem equorum, vel traiectionem aliarum mercium, extra fines regni; quos clientes & conſultores dum iuuare vult conſilium expetentes, ſententiam diu ſuſpendit, non audens ſic in particulari odioſe contra Principes definire: vnde proceſſit ad doctrinam generalem, nempe ſeculares principum leges non ligare ad peccatum mortale; ex qua deinde generali doctrina ſequitur reſponſio ad quæſtionem clientum; nimirum illos educentes equos, aliaſue merces traijcientes extra regni fines non peccare mortifere ſed obnoxios eſſe duntaxat pœnis legalibus. Hoc clare indi[illegible]

Nauarrus consi. 3. de consti. per totum. Nota autem duo dicit Nauarrus ibidem, quibus fluctum animi sui manifestat. Primum de peccato mortali eo in facto, ait nunquam fuisse sibi satis certum; innuens ea verborum forma, sibi fuisse aliquo modo certum, sed non satis certum, & penitus exploratum, quo rursus innuit in re vtcumque certa quæsiuisse effugia pro tuendis ijsdem suis clientulis. Alterum dicit se ad particulares quæstiones clientum, diu distulisse responsum. Tertium adijcit se in manuali iecisse semina responsionis, ex quibus potest ait colligi decisio, sed iusta de causa noluisse decidere. Quæ causa meo iudicio non fuit alia quam quod nollebat sibi accersere odium principum, in decisione rei (in particulari videlicet) non vsquequaque exploratæ. Itaque ad iuuandos præfatos clientes, tanquam in deplorata causa, vndequumque potuit Nauarrus, suffragia quantumuis paradoxa conquisiuisse videri potest. Cum autem sit gemina lex pœnalis, videlicet pure pœnalis, & altera quam mistam pœnalem vocant, de ea geminam conclusionem contra Nauarrum constituam.

De lege pœnali mista eam vere obligare ad culpam.

Prior conclusio esto. Leges pœnales mistæ determinate aliquid præcipientes apponentesq; transgressoribus mulctam siue pœnam, obligant ad culpam nunc mortalem nunc venialem vt aliæ quas

ad di-

ad distinctionem pœnalium mortales vocitant. Ratio est huiusmodi. Lex Iussio est superioris habentis potestatem, ea igitur regula est agendi etiam in conscientia. Deinde id quod prohibetur lege pœnali poterit esse maxime contrarium bono ciuili, ergo trásgressio talis legis, sicuti est contra bonum ciuile, ita & contra rationem, ac proinde peccatum etiam mortale, si valde repugnet bono ciuili & rationi. Nec obstat decretum pœnæ. Nam legibus diuinis decernuntur tales pœnæ, quæ tamen ligant in conscientia, imo quod ciuilis magistratus adijcit pœnam, colligitur inde transgressionem legis esse culpam etiam in conscientia. Nam decretum pœnæ videtur indicare grauitatem, sicuti ecclesia aliqua præcipit sub pœna excommunicationis, & lex vetus multa præcepit sub pœná mortis, quæ tamen pœnæ non infligebantur, nisi ob peccatum mortale. Alfonsus a castro, magnus alioqui assertor & patronus legis pœnalis mistæ, vt pote in cuius fauorem & tutelam vnum tractatum duos libros complectentem, edidit, veritatem conclusionis nostræ agnouit, & assertionis contrariæ falsitatem & errorem: sic enim ille ait 1. lib. cap. 8. Circa potestatem quam lex pœnalis in ordine ad culpam habet, scio tam a multis erratum, (nota erroris nomen) vt iam prouerbij loco illorum error sub hoc verborum tenore a multis cele-

Alfonsi doctrina de lege pœnali mista notis paginis recitatur.

tis celebretur: nulla lex pœnalis obligat illius transgressorem ad culpam aliquam, quia satis est (vt sic sentientes dicunt) quod transgrediens legem exponat se periculo pœnæ per legem impositæ. Qui error (nota denuo nomen erroris) cum multorum animas læserit, vt certa experientia didici, ad diuersa peccata committenda audaciam tribuens, coactus sum talem errorem (notate tertio erroris vocem) amplissimis rationibus conuincere: vt illius falsitate manifeste demonstrata, quotquot illi ante fauebant, statim ab illo deficiant, & sic a peccatis, quæ illa occasionem præbente commiserant, libenter abstineant. Et infra obiectioni occurrens. Si quis forte in contrarium mihi obiecerit aliquem aut aliquos doctores asserentes nullam legem pœnalem obligare ad culpam, ego illos (quamuis alioqui in iure aut Theologia doctissimos) in hac tamen parte non recipiam. Bene tamen se res habet quod nullum hactenus legi Theologum aut Iurisperitum, qui hanc sententiam tueretur, sed solum per multorum ora volare video. Scio equidem multos Theologos & Iurisconsultos scripsisse legem pœnalem non obligare ad culpam, propter omissionem pœnæ a lege statutæ, de qua sententia nunc non disputamus. Sed omnes illi qui negant obligationem ad culpam propter omissionem pœnæ,

fatentur

fatentur obligationem ad culpam propter transgressionem illius, propter quod lex pœnam statuit: sed vulgus indoctum, nesciens discernere inter id quod primo & potissimum a lege statuitur, & pœnam quam pro meliore illius obseruatione lex statuit: putauit idem esse de vtroque dicendum: Videns igitur doctores docentes legem pœnalem non obligare in conscientia ad pœnam, inde deceptus est, vt putaret legem illam minime etiam obligare in conscientia ad aliud propter quod pœnam statuit. Notate lectores vnde natus sit hic communis error, legem pœnalem non ligare ad culpam: inde inquam natus est, quod talis lex non liget ad culpam, respectu subeundæ pœne quia ad id subditus non tenetur sub culpa, vt se offerat & exhibeat vltro ad pœnam luendam, cum satis sit vt pœnam inflictam sustineat & patiatur, cum nemo suijpsius tortor (vt sic clarius dicam) esse teneatur: nihilominus sub culpa est nunc mortali nunc veniali more aliarum legum non pœnalium, facere vel omittere iussum aut prohibitum legis. Pergit Alfonsus. Nec solum indoctum vulgus video esse hoc errore deceptum, sed multos alios, qui se pro doctis haberi volunt audio esse in hunc errorem lapsos, vt putent nullam legem pœnalem obligare in conscientia ad id pro cuius meliori obseruatione lex ipsa pœnam adiecit,

Pergit Alfonsus.

iecit, quasi lex ipsa per additionem pœnæ tollat obligationem ad culpam, quod quisquis fateri non erubescit, protinus se a ratione alienum ostendit. En quarto & quinto nomen erroris & iustitiæ. Item cap. decimo eiusdem libri primi culpam huius aut coniuncti ei erroris in ignaros verbi Dei concionatores reijciens, sic ait. Sed si a solis indoctis prædicatoribus hic error emanasset forte iam perijsset, & non tantas apud populum coepisset vires. Sunt tamen adhuc alij, qui absque prædicationis officio pro doctis a populo rudi celebrantur, & pro talibus haberi conantur qui huic errori aperte fauent, aut errandi alijs occasionem præbent, propterea quod generaliter docent nullam esse culpam in eo opere pro quo aliqua lex poenalis statuta est. Nam per hoc quod periculo poenæ per legem statutæ quis se exponit, dicunt eum esse a culpa liberatũ nec iam amplius illum obligari, quam ad hoc vt paratus sit poenam subire quæ sibi iuxta legem erit inflicta. Testor enim Deum & non mentior, quod sæpe audiui hanc sententiam doceri a multis, qui pro doctis a multis existimabantur, quæ vna fuit ex causis, quæ me ad hoc opus scribendum impulit. hæc verbotenus iterum & tertio Alphonsus a Castro.

Pergit Alfonsus.

Rationes Alphonsi ex latissimo campo disputationis de hac re, capitibus octauo & duodecimo hic

Rationes Alfonsi.

hic compendio colliguntur. Prima ab exemplo legũ nobilissimarum & antiquissimarũ, diuinarum, mosaicarum, & euangelicarum, item canonicarum & ciuilium, in quibus pœnæ additio non tollit obligationem ad noxam læthalem. Et vt ad hanc rationem aliquid illustrationis adijciamus, Quis Christianus ignorat duo illa in toto iure canonico celeberrima & summi ad disciplinam ecclesiasticam momenti statuta (vt de cœteris sileam) confitendi & communicandi in paschate, grauissimam & ignominiosissimam complecti poenam, videlicet vt delinquens viuus arceatur ab ecclesia, & moriens sepultura Christiana careat, & hæc iterum ab omnibus catholicis doctoribus teneri, obligare indubitanter ad culpam mortiferam? 2. Ratio est, Lex pure poenalis seorsim posita non tollit obligationem quę fuerat inducta per legem moralem, ergo si iungatur lex pœnalis simul cum morali, ita vt ex ambabus vna fiat, pars illa quæ statuit pœnam, non tollet obligationem, quæ induceretur per aliam partem moralem, si seorsim statueretur 3. ratio ex multis signis quibus agnosci potest perfectæ legis obligatio, vnum est hoc præcipuum videlicet poena legis, vnde hoc signo solo vel sane præcipuo leges diuinas vt de gradibus consanguinitatis & affinitatis, & humanas, veluti de alearum lusu, ad mortale

obligare deprehendimus.

CAPVT. II.

Rationes authoris multiplices.

NOSTRÆ vero rationes ex rebus ipsis ductæ ctæ hę sequntur. Primo Doctrina hęc est contra tum Philosophiam ipsam, tum contra legis naturam. Siquidem in definitione legis quam tradidit Philosophus lib. 10. ethicorum, Lex est inquit sermo coactionem habens ab aliqua prudentia & intellectu. Sic ergo in lege coactio includitur, quę sine pœna vel metu pœnæ nulla est. Si ergo comminatio pœnæ legi addita, legis ad peccatum impedit obligationem, ergo soluit naturam legis, quæ est ligare ad factum, ac proinde ad peccatum pœna adscita. Adde ex eadem Aristotelis definitione & ex natura legis, In omni lege etsi non exprimatur inuolute continetur pœnæ comminatio, quæ tamen non ideo tollit obligationem ad culpam, alioqui nulla lex ad culpam ligaret, cur ergo expressa poena illa obligationem tollet potius quam tacita? Item aliter Lex definitur rationis dictamen, nihil autem dictatur, id est iubetur aut prohibetur aduersariorum iudicio per poenalem legem maxime pure poenalem, quia solum statuitur poena facienti hoc aut

A definitione legis.

Ab alia legis descriptione.

aut illud. Ergo a lege deficit & lex non est sic intellecta. Nam cum ex cõmuniori sẽtentia nemo teneatur poenam incursam subire, sine iudicis sententia & excutione, manifestum est mandatum tangens poenam ad iudicem spectare, non ad reum, cui satis est, si poenam exigente iudice patiatur. Contra Iuris doctrinam ff. de legibus & senatusconsultis, Legis virtus (ait Modestinus) est imperare, vetare, permittere, punire. Si legis virtus est punire, quomodo punitio seu poena potest esse legis, id est ligationis eius interitus? imo quomodo legis officium ignobilius scilicet punire, tollit aliud multo antiquius & nobilius scilicet imperare? frustra namque imperat, qui non ligat, & quasi non ligat, qui non sic arcte & stricte vt teneat.

Doctrina Nauarri contra iuris doctrinam.

Contra ipsiusmet poenæ naturalem finem & vsum legitimum, qui secundum leges omnes diuinas, ecclesiasticas, & politicas, non est alius quam is quem exprimit scriptura. Exod. 20. vt terror ait eius scilicet Dei, sit in vobis, & non peccetis. Ex quibus verbis intelligimus institutione diuina poenam esse instar aculei & stimuli ad legum obseruantiam, Item instar freni a legis violatione retrahentis, id quod omnes legislatores tam ethnici quam Christiani probe intellexerunt. Vnde aiebat Solon duo numina diuina cuncta gubernare, præmium & poe-

3 *Doctrina Nauarri de lege pœnali contra pœnæ vsũ naturalem*

nam. Nauarrus igitur dum præmium & poenam seu eorum vsum naturalem, & diuina lege institutum tollit, vitiorum, frenum ex manibus magistratuum excutit, virtutibus calcaria adimit, Rerumpublicarum firmamenta concutit & labefacit: vnde Iurisconsultus ff. de Iust. & Iure bonos ait non solum poenarum metu, verumetiam præmiorum exhoratione facere cupimus. Quo ex loco nouum nobis argumentum suggeritur. Non est disparatio poenę & præmij ad legum obseruationem quod attinet; At præmium nemo vnquam dixit minuere aut tollere obligationem legis, nec ergo minuet aut tollet poena.

4 *Eadem doctrina contra omniũ legislatorũ mentem.* Contra omnium non penitus improborum legislatorum mentem, quæ est aut esse debet reddere ciues, bonos iuxta verba Iurisconsulti paulo ante in medium prolata, de qua re specialem quæstionem & decisionem habent S. Thomas *1. 2.* quest. *92.* & Dominicus a Soto lib. *1.* de Iustitia Iure art. *1.* Atqui ex hac opinione ligante ad nudam poenam, non solum primaria sed sola & tota intentio legislatoris fertur in poenam, cum debeat legislator non vtroque oculo, nec dextro quidem, sed sinistro duntaxat & quasi grauate intueri poenam, quam asciscit vt adiutricem ad culpæ fugam. At isti belli homines nobis introducunt legislatores atroces sanguinarios,

guinarios, qualique sanguine miserorum & innocentium oculos pascentes, qui vtantur legibus poenalibus, sicut araneæ telis ad capiendas muscas, quas euiscerant mox vt coeperint, qui vtantur inquam non ad legis obseruationem, non ad virtutis vsum, non ad peccati fugam, sed ad hominis poenam. Contra communem sensum seu commune iudicium omnium quantumuis rudium & agrestium, quorum est nemo qui violata aliqua lege quamuis pœnali, non sentiat illico conscientiæ vermem, peccati testimonium perhibentem. Contra potestates ipsas & earum legitimum vsum nequenon contra scripturas potestatum fundatrices. Qui potestati resistit id est non paret intonat tuba Paulina, Dei ordinationi resistit, & qui resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt. Isti autem si numini placet ingeniosum priuilegium nescio vnde eruunt, quo potestati non obedientes ab omni damnatione eximunt, imo ab omni labecula leuiusculæ cuiusuis offensę puros reddunt. Vbi lex non distinguit, aiunt frequenter Iurisperitorum discipuli, nec nos distinguere debem⁹, cur igitur non distinguente lege diuina nec distinctionis alicuius causam suppeditante, isti cum sua lege pœnali distinguunt? Contra vetustam & canam antiquorum Patrum & doctorum ecclesiæ doctrinam. Siquidem ante tempora

Henrici

5 Eadem contra iudiciū omnium hominum.

6 Eadem contra potestates & earum vsum.

7 Eadem contra doctorū priscorum doctrinam.

Henrici Gandauensis, eam mundo inauditam fuisse autumo, & ab eo tempore minime fuisse communem, sed pauculorum Scholasticorum, quibus speciosum visum est, & ad nomen suum celebrandum accommodatum, tritas & communes vias relinquere, fortassis etiam ijsdem arrisit petulantius potestates ipsas incessere, rodere, suggillare, odiosas reddere.

8 *Eadem contra iustitiā.* Denique contra omnem iustitiam, cum enim in pœnis vt habet regula iuris benignior interpretatio facienda sit, & ideo sicut odia restringi, sic fauores ampliari debeant, alioqui solitudo & vastitas futura est in Republica, si nihil reliquitur nisi quod iudex seuerus absoluit; isti contra vbi culpa non est, proinde nec pœnæ locus, per pœnales leges, & sine culpa violatas, pœnas aduocant, id quod iniquum iniustum, tyrannicū est, innocentem inquam, & talem notum iudici, etiam quatenus iudex est & per acta publica talem probatum, ad pœnam damnari. Etenim si iniustitia est, vt est, quando supplicium grauius est delicto, vt si virgas meritus plectatur capite, truncandus, puniatur igne, quia iuxta mensuram delicti sit & plagarum modus ait scriptura, quanto maior est & manifestior iniustitia ex nulla prorsus antegressa culpa pœnarum acerbati subijci. Respōdent illi puniri posse iuste aliquem sine culpa dummodo

dummodo subsit causa conformiter regulæ iuris canonici in 6. Sine culpa nisi subsit causa non est aliquis puniendus. Verum in re tam ardua in qua subinde de capite agitur innocentis, quærenda fuerat solidior aliqua euasio. Nam regula iuris suam generalem & inconcussam retinet veritaté, siquidem parenthesis interiecta, nisi subsit causa, si glossam auscultes solum docet vbi interueniret citra culpam causa, contingere posse, vt homo propter indecentiam (quam irregularitatem vocant) ab aliqua dignitate repellatur: quamuis eadem parenthesis aliter a Thoma quam a Glossatore accipiatur, videlicet pro flagellis diuinis, quæ non tam in pœnam commissorum criminum, quam veluti medicinam in futuram infliguntur: quæ doctrina istis non suffragatur, tum quod eiusmodi pœnæ non possint dici diuinæ, tum quod medicinæ locum non habeant, vtpote nec sanatiuæ præteriti, nec præseruatiuæ futuri, eorum iudicio qui ob nullum peccatum præteritum aut futurum infligi confiteri necesse habent. Superest, igitur eos more geniorum malorum ipso miserorum cruciatu tanquam cibo delectatos, in eum cruciatum tanquam scopum primarium & vnicum (dignum videlicet legum sacrosancta maiestate) vniuersas mentis cogitationes contulisse & conuertisse dicamus. Ad leges vero *Ad graue absurdum cōpellitur Nauarrus.*

ciuiles statuentes pœnas vbi non apparet antegrediens culpa, quales sunt illæ de effractoribus, carcerum vt fugiant ff. de effractoribus L. his & ff. de custodia & exhibitione reorum L. In eos cum tamen liceat citra culpam cuicunque vincto id facere, docte respondet Dominicus a soto lib. 1. de iustitia & iure quæst. 6. art. 6. illic vel esse culpam vel presumi, quæ præsumptio indubie sufficit vt iudex ab iniustitia vindicetur. Faciunt pro hac doctrina, & superioris regulæ intelligentia, alij euidentissimi Iuris vtriusque textus. Rem quæ culpa caret ait capitulum 2. extra de constitutionibus in damnum vocari non conuenit. Item cap. Pariter 2. ex Gregorio extra de his quæ fiunt a maiori parte capituli, sic habet Peccata suos authores tenere debent, nec pœna vlterius protrahenda quam delictum in excedente repertum. Quibus canonibus sacris per similis est Lex Sancimus C. de pœnis Sancimus ait, ibidem pœnam vbi & noxa est, peccata enim suos tenent authores nec vltra progreditur metus quam reperitur delictum. Sed bene habet quod Nauarrus ipse, antagonista noster in hac arena primarius, tractatu speciali de lege pœnali in cap. confraternitas 12. quæst. 2. agnoscit nihil posse iuste dici poenam nisi quod imponitur ob culpam præteritam & quidem propriã, accepto verbo poena ait vt vulgo accipitur

Iura non agnoscunt poenam sine culpa.

a Theologis

a Theologis ac etiam Iuriſperatis ff. & C. de pœnis & eodem tit in Decretalibus & Clementinis, vnde ſubijcit. Quare plenius fuerit dicere legem poenalem non ſolum eſſe quæ infligit propriam poenam ſed etiam quæ imponit priuationem alicuius boni ſine culpa; non tamen ſine cauſa; contra quæ posteriora verba duo obijcio: Prius non ſemper poenas legibus additas eſſe priuatiuas, ſed frequenter poſitiuas: Poſterius ex receptiſſima tam Theologorum quam Iuſperitorum doctrina, in legum interpretatione à proprietate verborum non recedendum; cum ergo in legibus tam politicis quam canonicis poenæ nomen reſpiciat culpam eius confeſſione, cur temere & abſque cauſa ab ea proprietate recedit?

Nauarrus cogitur agnoſcere ſenom vis vocabulo poena in propria ſignificatione.

Contra eandem Nauarri doctrinam, generalem concluſionem format Didacus Couuarr. parte 2. relectionis cap. Peccatum §. de gabellis & vectigalibus; humana inquit lex quæ iuſta eſt vi humani præcepti, notate verba vi præcepti humani, ad culpam eius tranſgreſſores obligat, quandoque mortalem, quandoque venialem etiamſi poenam humano præcepto adijciat; cuius quidem concluſionis pars prior legem humanam toto genere tuetur, etiam quatenus pure humana eſt, contra illos qui obligare illam omnino inficiarentur, vel ad ſolam poenam

Eadem contra doctrinam famoſiſſimorum DD Sy. Couarr. D. a Soto Domi. Franci. Ioannis Dried.

vel duntaxat ad venialem concederent: Posterior in verbis etiamsi poenam humanam præcepto adijciat, doctrinam Nauarri de lege mixta funditus destruit & labefactat, adiuncta sibi authoritate Dominici a sãcto Geminiano, Franci in cap. Perpetua notabili 6. Felini, Decij in relect. 1. capituli, nam concupiscientiã, Siluestri verbo Inobedientia, Ioanis Dried. lib 1. de libeertate Christiana art. 3. Ioanis Medinæ de restitutione quæst. 12. & quæst. 37. ad 6. Alphonsi a castro, cuius mentem latissime exposuimus, Dominici a Soto lib. 1. de iustitia & Iure de quo postea. Verba Ioãnis Dried. loco citato sunt, Transgressor constitutionis huius generis scilicet mixtæ, non obligatur poenam soluere nisi ad soluendam illam condemnetur, quamuis peccet etiamsi sit paratus poenam soluere, nisi intentio statuentis fuerit tale statutum non obligare ad vllam culpam, sed solum ad soluendam pœnam, vbi a superiori fuerit taxata & imposita. Ex dictis non admodũ difficile foret singulis in cõtrarium Nauarri argumẽtis respondere, quod & facturus fuissem, nisi me prolixitas deterruisset. Rationes autem Didaci sunt hæ. Prima. Nec enim ex eo obligatio ad mortale crimen cessit, nec tollitur, quod legislator pœnam addiderit. 2. Potest legislator etiam laicus obligare ad culpam simul & pœnam, cum pœna non sit culpæ contraria.

Rationes Didaci Conari. contra Nauarr.

Si

Si dixeris non deesse potestatem sed voluntatem, certe miror nec possum rem hanc ita perpendere, vt existimen legis conditorem qui pœnam addit, ad eius maiorem vim & executionem, velle ex hoc legem ab eo conditam imbecilliorem reddere; præsertim cum plerumque ex pœna legi addita, colligatur legislatorem habuisse voluntatem obligandi ad mortalem culpam: & profecto iniquam censerem humanam legem, quæ pœnam mortis aut mutilationis membrorum imponeret pro transgressione alicuius legis, quę ob publicum leue tamen incommodum non esset dignum mortali culpa. Hæc ille, & alia multa in eandem sententiam.

CAPVT. III.

De lege pure pœnali, de qua Nauarrus in cap. confraternitas 12. q. 2. numero. 23. & 24. Item manu. c. 23. num. 55.

HACTENVS de lege pœnali mixta, nunc de pure pœnali sequitur vt agamus, vbi monendus est lector, non pauca ex his, quæ ex doctoribus maxime pro feremus, communia fore tam legi mistę quam pure pœnali, quia nonnulli doctores illud

diſcrimen vel negantes, vel non attendentes, vel certe cognitum contemnentes, ita legem pœnalem impugnarunt tanquam ſi inquam, omnis lex pœnalis vnius eiuſdemque eſſet generis; inter quos Dominicus a Soto de iuſtitia & Iure lib. 1. quæſt. 6. ſic ſcribit. Aiunt leges miſtas pœnales obligare ad culpam; has vero ſcilicet pure pœnales minime, veruntamen (vt ſalua exiſtimatione id authorum dixerim qui digni ſunt prætio) callere mihi videor vim huius diſtinctionis, imo inconcuſſam arbitror vniuerſalē veritatē noſtrę concluſionis, nempe quod nihil poteſt habere rationē pœnæ, niſi vbi ſubeſt culpa, id quod fert imaginem culpæ abſente pœna potius erit, prætium vel pactum, vel quid aliud. Concluſio de qua loquitur eſt hęc, nulla prorſus eſt lex pœnalis, ſi legitime poenalis ſit nominanda, quæ non obliget ad culpam niſi contrariam intentionem expreſſerit legiſlator, dicendo non intendimus obligare ad culpam aut quid ſimile. Concluſio inquit eſt B. Thomæ 2. 2. quæſt. 108. art. 4. vbi eam vt pleraque omnia luculenter elucidat: & eſt lumine naturali nota, poena namque vel ipſo nomine atteſtante, tam cognatam habet connexionem ad culpam, vt poenæ nomen iuſtum non habeat, niſi ſit pro culpa poſita: loquimur enim hic de poena iuridica pro eo quod eſt vltio & vindicta, non pro pœna

Dominicus a Soto.

physice

physice accepta id est cruciatu. Vindicare enim & vlcisci & supplicium poscere, neutiquam nisi pro culpa fas est. Præcedit ibidem, quæstio hæc non est cur reuocetur in dubium, adeo res per seipsam liquet: sed quia vulgus nescio quo colore ait legem obligare ad poenam, non obligare ad culpam, necesse est hunc errorem elidere. Indicat autem in progressu eiusdem quæstionis, eam haustam esse primo ex Henrico Gandensi quodlib. *3.* quæst. 22. Rationes ad probationem suæ conclusionis congerit non paucas affines illis, quas protulit Didacus tu ad eas recurre si libet. Ioannes Molanus sacræ theologiæ doctor & professor in alma Academia Louaniensi in suo compendio Theologiæ practicæ lib. 5. cap. 9. de lege poenali sic scribit. Legem poenalem nullam esse arbitramur, nec vllum esse superioris præceptum, cuius violatio non sit culpa, etiamsi superior velit præcepta sua quæ dat non obligare nisi ad poenam. Et quia potuisset obijci quod frequenter in ore habent aliqui, statuta multorum religiosorum, subdit. Sunt tamen statuta quæ improprie leges poenales dicuntur, quorum transgressio non obligat ad culpam, si transgressor poenam statutam seruare velit. Ioannes Azorius doctor ex societate nominis Dei reiectis duabus opinionibus, eorum qui nullam legem poenalem cum

Ioannes Molanus.

Ioannes Azo:

Nauarro

Nauarro volunt obligare ad culpam. Deinde aliorum qui distinguunt, agnoscentes poenalem mistam ligare ad culpam negantes de pure poenali: tandem in tertia & nostra opinione conquiescit, omnem poenalem legem siue mistam siue puram innectere transgressores culpæ vinculo. Præmittit tamen & separat certa & indubitata a controuersis. Comperta ab omnibus sine controuersiâ recepta ponit quinque vel sex. *Primum. Quicunque* transgreditur ex contemptu, vel cum scandalo, legem seu simplicem seu mistam, seu pure poenalem, peccat mortaliter. 2. *Quoties* leges canonicæ infligunt poenas excommunicationis, suspensionis, Interdicti, degradat. deposit. ligant illæ ad mortem. *3. Quoties legislator* declarat nolle se ligare conscientiam, non ligat. 4. Leges quæ solum sunt conuentiones & pacta, non ligant tanquam leges, sed tanquam pacta conuenta *5.* Quoties legislator tacite vel expresse manifestat velle legem suam ligare ad culpã, id vere facit. Hæc omnia extra omnem aleam controuersiæ & disputationis constituit, post hæc de eo de qno agimus subdens in nostram sententiam & cõtra Nauarrum. *Quæ vero in opinione. 1.* disputatione controuersa non adeo comperta consistunt, duo sunt. Primum. An quando suam mentem expresse vel tacite non exprimit, & poenã temporariam constituit legislator eoipso

eoipſo eiuſmodi lex ita conſcientiam adigat ad parendum, vt eius violatio ſit in culpa. 2. eſt An lex humana, quæ nihil fieri iubet aut vetat, ſed ſolum pœnam decernit ita conſcientiam alliget, vt qui ei non paret ſeſe peccato commaculet. De quibus duobus mihi longe probabilius videtur (notate verba) leges humanas mulctam & pœnam interponentes conſcientiam ligare: nam quod leges eos qui illas non ſeruant poenis afficiunt, non eſt quod legiſlator nolit legis violatorem culpam contrahere, ſed eo quod metu pœnæ velit omnes in officio continere: nihilominus tamen in his duobus opinionem contrariam ſecutus ſiquis fuerit, non videtur omnino condemnandus, cum eam ſententiam graues alioqui theologi & canonici Iuris interpretes ſequantur. Nota denuo non omnino ait condemnandus, ſaltem ergo quadantenus. Audiamus ſuper eadẽ re duorum Illuſtriſſimorum & eruditiſſimorum vrbis Romæ adhuc in viuis Cardinalium eiuſdem ordinis ac ſocietatis Bellarmini & Toleti quorum ille lib. 3. de monachis cap. 11. ait videri implicare contradictionem principes obligare ad pœnam & non ad culpam, cum culpa & pœna ſint relatiua addens ex Auguſtino Deum fore iniuſtum, ſi quem damnaret innoxium. Ex quo infert quomodo ergo poſſunt principes damnare ad mortem eos qui leges *Cardinalis Bellar.*

N ſuas

ſuaspræuaricantur? Deinde reſpondens vt ſupra, ad regulas religioſorum ad ſolam pœnam ligantium, ait obligare per modum pacti ſeu conuentionis vt leges pure pœnales. Non diſſimilis eſt Toleti Cardinalis loco citato de peccatis ſeptem mortalibus doctrina, vbi approbat hanc regulam ex diametro Nauarreæ doctrinæ contrariam. Quando in lege humana grauis & notabilis pœna capitis, amiſſionis omnium bonorum, exilij perpetui, continetur, obligat ad mortale: quando vero pœna non eſt tam grauis non obligat niſi ad veniale, quod intellige ſuppoſita materiæ grauitate, quæ in lege iuſta, eſt coniuncta cum grauitate poenæ. Eſt enim communis ſententia, & in rebus dubijs non debet homo ſe exponere periculo peccandi, agendo contra tales leges: videntur enim exprimere maiorem intentionem obligandi ipſorum legiſlatorum, cum non ſolum præcipiant verumetiam poenam infligant. Nam ſi leges humanæ & poenales præſertim (nota illud præſertim ſignificare leges poenales magis ligare ad peccatum quam non poenales) non obligant ad culpam, multa mala fient contra bonum commune, nec id affirmare eſt doctoris, ſed principis aut alicuius Concilij. Idem cum Theologis docuerunt Iuriſconſulti primi nominis tam veteres quam moderni. Panor in rubric. de obſerua.

Tolet. Cardina:

Iuriſconſulti.

Ieiun.

Ieiun. Archidiac. Ioannes Andreæ Geminian. Ex recentissimis & præstantissimis nostræ ætatis Iureconsſ. non pigebit Didaci. Conuarr. instar omnium proferre sententiam. Is ergo recitatis multorum in vtramque partem sententijs sic ait. Ego sane fateor legem pure pœnalem ex ipsa verborum forma non obligare ad culpam, quamuis culpam ipsam præmittat frequentissime lex ista ex alia lege diuina vel humana, quemadmodum docent Driedo, Caietanus Alphonsus a castro; Attamen opinor plerumque ex lege pœnali quæ poenam infert pro eo quod alia lege nec præceptum nec prohibitum est, quod raro contingit, deduci posse conditoris intentionem, ad obligandum eum qui vel fecerit vel omiserit id pro quo pœnam statuit ad mortalem aut venialem culpam. Nam ex subiecta materia poenalis legis quandoque colligere est legislatorē dum talem legem statuit, intendere vt fiat vel omittatur id propter quod poenam imponit. Nam si id quod vt fiat vel omittatur expediat Reipublicæ, & hæc ratio manifesta sit apud ipsum legislatorem, profecto censerem ipsemet tunc intentionem legislatoris legem pure poenalem statuentis, eam esse vt id fiat vel omittatur. Sic denique si id fieri vel omitti non tantum simpliciter vtile est communitati, sed maxime interest ad eius bonum com-

Didacus Conuar.

mune id fieri vel omitti, quod præsumitur ob grauem poenam lege pure poenali statutam, non admodum a ratione alienum videbitur in hac specie coniectare legislatorem intendisse ad mortalem culpam obligare transgressorem eius, quod in hanc legem mere poenalem pro eius materia deduxit. Hæc Conuarr. qui etiam prius contrariam doctrinam impugnat his verbis, hæc inquit conclusio iure defendi non potest, præterquam quod si vera esset fere tota humanarum legum vis periret, parumque vtilis esset legislatorum cura & diligentia, si poena quam legibus ad imperandi maiorem vim addiderunt, eas imbecilliores redderet. Hæc ille Nauarri discipulus, eiusdem magnus vt sic loquar venerator & cultor, longe securius quam Magister. Modernus quidam & adhuc in viuis Theologus Ricar. hallus in quodam suo opere non parum docto de quinquepartita conscientia lib. 3. cap. 29. etsi nomen Nauarri taceat; eiusdem tamen de lege poenali doctrinam multiplici grauium argumentorum ariete concutit. Ex natura inquit legis proficiscitur vt liget non ad pœnam solum sed ad peccatum. Nota ex natura legis est ergo per se conuenit omni legi & qui secus cum Nauarro dicit legi naturę repugnantia loquitur. Pergit. hoc inquit habet peculiare. Notam peculiaris vocem designare aliquid

Ricar. Hall.

specialem

ſpecialem in lege poenali, cur debeat potius ligare ad culpam quam alia non pœnalis, hoc inquit habet peculiare lex poenalis, quod cum omnis proprie poena initium habeat ex culpa; quia per peccatum mors intrauit in hunc mundum, quo nomine mortis omne genus poenæ intelligitur, & eiuſdem culpæ medicina ſit poena iuxta Auguſt. Iuſſiſti domine & ita eſt vt omnis inordinatus animus ſuijpſius poena ſit, & cum poena omnis debeat culpæ reſpondere, neceſſe eſt vt culpam præſupponat. Hinc idem Aug: diſſertis verbis omnem poenam iuſtam eſſe ait & pro peccatis impendi; cui concinit Iob. Quis vnquam inquit innocens perijt, aut quando recti deleti ſunt. Sed & illud tam ex eodem ipſo Auguſt. quam ex Proſpero citatur. Latere culpam vbi non latet poena. Quid quod, qui non modo aliquid ſtatuit, ſed poenam adijcit eo ipſo palam facit arctius ſe obligare velle ſubditos ad peccatm,& cum modo ſint poenæ grauiores, quædam leniores, vel ex hoc oſtenditur quaſdam tranſgreſſiones magis obligare alijs, quia iuxta menſuram delicti erit & plagarum modus. Atque vt vel ab ipſis primis parentibus rem accerſeamus quis negauerit legem illam diuinam poenalem fuiſſe? In quacunque hora comedetis, morte moriemini non ad peccatum etiam obligaſſe? nam per mortem ibi genus omne ſupplicii &

pœnæ ſignificatur. Eodem plane modo vbi legiſlator aliquid conſtituerit per ſuam legem in genere virtutis & vitij, quamuis ſimul poenam adiecerit, qui eam violat & peccatum committit & in poenam incidit, quod ſi poena adiecta ſit grauis, vt in primis parentibus manifeſte docetur ad mortale aſtringere. Hęc ille tacito Nauarri nomine. Pręterierā Bartholo: medinam primariæ cathedræ Theologorum apud Salmanticenſes præfectum in 1. 2. q. *96*. vbi late diſcuſſa quæſtione, reſoluit. Dicendum inquit ex *Diuina Theologia*, quod omnis lex poenalis obliget ad culpam. Hæc ait eſt ſententia Thomæ expreſſa. 2. 2. quæſt. 108. art. 4. *Hæc eſt nota lumine rationis* naturalis. Et probat medina duplici argumento sũpto a natura pœnæ, quæ oritur ex culpa iuxta illud, per vnum hominem pecc. intra. in mund. & per. peccatum mors. Deinde pœna tollit peccatum tanquam medicina. Et plura in eam ſententiam. Vbi etiam ſtatuit regulam generalem. Quotieſcunque inquit lex præcipit ſub poena capitis, aut priuationis omnium bonorum, aut exilij perpetui, obligat ad mortale. Hæc Medina, in cuius verbis nota eum loqui de lege pœnali tam miſta quam pure pœnali. Omnis inquit lex poenalis &c. Nota ſecundo ex verbis ex diuina Theologia, ſignificare doctrinam hāc prorſus ex ſacrarum literarum fontib[9] hauſtam,

ideoque

ideoque penitus ſecuram, ac eo nomine pręferendam doctrinæ Nauarri. Nota tertio magni eſſe ponderis quod ſcribit idem Medina hanc doctrinam Theologorum lumine naturali notam, vt ſit mirum Doctori Nauarro fuiſſe adeo ignotam, vt ponat regulam valde meo iudicio rationi diſſonam, ex diametro illi quam ſtatuit Medina contrariam; nempe leges pœnales quamuis pœnam amiſſionis magnorum bonorum, etiam famæ, & alicuius membri etiam vitæ continentes non ligare ad mortale. Sic ille. c. *23.* manu: nuero. *53.* ſtatim initio. Nota quarto, cum in hac quæſtione contra pauculos Canoniſtas pugnet ſchola Theologorum numero & pondere argumentorum longe fortiorum, multo tutius eſſe his quam illis adhærere, eo magis quod in ea agatur de peccato mortali & reſtitutione, quæ duo ad Theologum maxime pertinent. Quo loco Lectorem moneo omnia quæ ſecundo loco prolixe retulimus capite ſexto primæ partis huius opuſculi ex Latomo, habere hic etiam locum proprium; quandoquidem idem author ſpeciatim monet, Apoſtolum Roma. *13.* in verbis Reddite omnibus debita, & in ſequentibus. Non enim ſine cauſa gladium portat, agere de legibus poenalibus & tributis, & ſane vtriuſque rei vel ipſe ſonus verborum fidem indubiam facit.

CAPVT.

CAPVT. IIII.

Veteres ſcholaſtici conſuluntur.

NEQVE vero iuniorum duntaxat theologorum, ſed & veterum Scholaſticorum hæc videtur doctrina, ac imprimis Angelici doctoris 1. 2. quæſt. 87. articulis 1. & 7. quibus locis etſi non tractet aut decidat in terminis hanc quæſtionem, paucis tamen contrariæ opinionis fundamenta diruit, & noſtræ conſtituit. Siquidem primo articulo pœnam veri nominis docet effectum eſſe culpæ. Septimo vero articulo quamuis pœnam, eſſe culpæ pœnam quod eſt culpam & pœnam eſſe correlatiua in verbis. Si loquamur de pœna ſecundum quod habet rationem poenæ, ſic ſemper ordinem habet ad culpam propriam ſiue originalem ſiue actualem. Sed & idem Thomas. 2. 2. quæſt. 109. art. 4. Poena inquit ſecundum rationem poenæ non debetur niſi peccato, etſi vt medicina nonnunquam iuſtis infligatur, & 1. 2 quæſt. 96. art. 4. Vnde argumentor ex mente Beati Thomæ poſt B. Auguſt. lib. 1. retract. c. 9. Omnis poena ſi iuſta eſt peccati poena, ergo poena legis poenalis, ſi eſt iuſta, eſt peccati eius qui tranſgreſſus eſt poena. Lex ergo illa ex mente

Beat: Tho:

Beati

Beati Thomæ ad peccatum ligat & constringit conscientiam indistinctè more cæterarum, de quibus habet generalem hanc conclusionem. Iustæ leges humanæ obligant homines in foro conscientiæ. Armilla aurea citat Beatum Thomam in 4. senten. & 2. 2. quæst. 147. pro hac determinatione. Non obedire legis præcepto, quãdo lex est iusta acceptata non abrogata per contrariam consuetudinem est peccatum mortale, etiamsi talis lex sit poenalis pure. Et paulo post, & sicut dictum est de præceptis statutorum, ita dicendum est de præceptis prælatorum quoad culpam, quia obligant siue sint poenalia, siue non, nisi quando lex vel præceptum declararet non obligare ad culpã, sed tantum ad poenam. Angelus de clauasio in summa dicta Angelica eodem verbo, Angelico Doctori, secutus Henricum a Gandauo, primo consentit quoad legem poenalem mistam eam obligare ad culpam & quidem mortalem, quoad legem vero mere poenalem videntur quidem Angelus & Henricus a Gandauo a nobis dissidere, dum aiunt leges mere poenales obligare duntaxat ad poenam ex forma statuti, id est præcise vi & sono verborum. At illi ijsdem primi authores vt autumant plerique de Henrico, nostræ sunt sententiæ dum aiunt. Ex intentione vero statuentis obligat lex mere poenalis ad culpam. Similis prorsus est

Summistæ.

Armilla aurea.

Angelus de cla:

O doctrina.

Sylu. doctrina Siluestrinæ summæ eodem verbo, vbi etiam irridet tanquam verbalem & puerilem distinctionem legis poenalis in mistam & puram, volens vtramque pariformiter ad culpam obligare, contra eundem Henricum. Ratio eius est nullus apponit poenam statuto, nisi quia vult aliquid fieri vel omitti.

Capvt. V.

Alfonsi & Joan. Benedicti doctrina seorsim expenditur.

ALfonsvs a castro etsi toto decimo capite primi libri sui tractatus de lege poenali pugnacissime legem poenalem mistam tueatur non minus obligare ad culpam, quam si poenæ adiunctione careret, idem tamen paulo ante toto capite. 9. eiusdem libri non minus animose & viriliter legem mere poenalem contra nos oppugnare videtur, sustinens eam quatenus talis est non obligare ad culpam. Verum si quis oculatius paulo mentem Castrensis perspexerit illum non procul a nostra & veterum doctorum doctrina deprehendet. Loquitur illle veluti metaphisice & mathematice de lege poenali quatenus ait, talis est id est vt consideratur illa lex ex sono & rigore verborum quæ non exprimunt

Castrens.

aliud

aliud quam pœnam. At veteres doctores non tam ſonum & ſignificationem auribus obiectorum verborum ſpeculatiue, quam practice & ciuiliter id eſt populariter ſeu vt ſonant verba in vſu populi, ſenſum legis intuentur, qui ſenſus popularis inde colligitur quod nemo apponit pœnam (vt loquuntur illi) ſtatuto, niſi quia vult fieri vel omitti. Non quod intentio ipſa ſola ſtatuentis verbis non declarata obliget; ſed quod dicamus ſufficienter declarari, quamuis non expreſſe, ſed tacite, eo ipſo quo comminatio pœnæ adijcitur. Eſt enim voluntas ſuperioris (quemadmodum diuus Thomas notauit 2. 2. quæſt. 104. art. 1.) quocunque modo inuoteſcat, tacitum quoddam præceptum : nam cum mentis humanæ interpres ſit oratio, quid attinet, quo circuitu ꝟ compendio verborum lex loquatur, ſiue dicat verbi gratia. Nemo aſcendat moenia alioqui mulctandus tribus florenis, aut ſic : qui aſcendet moenia ſoluet tres florenos, dummodo audiens intelligat & commode ſatis intelligere poſſit mentem præcipientis, cum alioqui mutus pater, aut quiuis alius ſuperior præcipere ſeu legem dare poſſit ſignis aut nutibus, ſicuti etiam ſurdis ſubditis non mutus ſuperior, quod arbitror Caſtrẽſem inficiari non poſſe. Agnoſcit ſiquidem legem pure poenalem nunquam vllam latam fuiſſe, niſi præſuppoſita præcedente

aliqua diuina aut humana, ad cuius transgressionem pœna referatur, vnde cum huiusmodi diuinæ & humanæ morales leges ligent ad culpam, consequens est (in re, & si minus in verbis) vt si non liget ad culpam, præsupponat nihilominus semper obligationem ad culpam, quæ duo ad praxim quod attinet minime differunt. Imo agnoscit idem a Castro pœnę grauis additionem semper esse indicium obligationis ad mortale. Absit ergo ingeniosum verborum aucupium & Castrensis noster etiam hic erit. Ioannes Benedicti nonnullis frigidis & ieiunis ne dicam falsis ratiunculis, voluit Castrensi & Nauarro in doctrina legis pure pœnalis adhærere. Quando inquit leges humanæ obligant ad aliquam pœnam temporalem, excludunt æternam. Nec enim inquit tam crudelis est legislator sæcularis vt velit ad vtramque ligare pœnam. Quasi vero hæc obligatio pendeat ab ipsius legislatoris voluntate & non potius ex natura rei sic a Deo institutæ, aut quasi in Deum possit cadere crudelitas, absit, qui peccatores ob flagitia hic punit temporaliter ad eorum correctionẽ, & extra spem correctionis positos, tradit pœnis æternis cruciandos, aut quasi culpa & pœna geminam pœnam faciant; cum culpa non tam sit pœna quam pœnæ meritum. Non sunt inquit correlatiua culpa & pœna; nonnunquam enim supplicium infertur

Ioann. Benedict.

mortis

mortis ob peccatum veniale, cuius gratia laudatos quoſdam duces memorat quod milites quoſdam ſuos ob exigua furta ſuſpendi mandaſſent : quod totum imperite & falſo aſſeritur. Cum enim ex ſcriptura & ex natura iuſtitiæ, quæ ſonat nomine ſuo æqualitatem iuxta menſuram delicti ſit & plagarum modus; nullus iudex etiam militum dux, poteſt veniale furtum aut aliud peccatulũ morte punire, ex eo capite quod veniale ſit, & pro tali illud habeat, vide Dominicum a Soto dicta. quæſt. 6. lib. 1. de iuſtitia & Iure art. 5. Infallibilis inquit, regula eſt, quod in neminem poteſt princeps pœnam capitis aut mutilationis, exilij, vel omnium bonorum publicationis decernere, niſi pro tranſgreſſione legis, quæ ſit læthalis culpa. Adde ſi Auguſtinus vere dixit epiſtola 105. Deum ipſum fore iniuſtum ſi quempiam damnaret innoxium, quomodo igitur poſſunt principes damnare ad mortem eos qui leges ſuas præuaricantur, ſi nihil peccarunt? hoc igitur eſt, ea peccata quæ venialia ſunt ob exiguitatem materiæ, mortalia euaſiſſe ex circumſtantia aliqua, & in caſu vtpote diſciplinæ militaris neceſſariæ. Ad Nauarrum autem quod attinet noſtrum in hac velitatione Antigoniſtam primarium, etſi poenam ex culpa ſemper infligi inficiatur, regulariter tamen id ita fieri fatetur; debuit ergo ille eo conceſſo admittere

regulariter ſaltem leges poenales ligare ad culpam, & non conrrariam regulam generalem facere, leges poenales ſiue miſtas, ſiue pure poenales non ligare ad culpam.

TRACTATVS DE VI ET POTESTATE LEGVM HVMANARVM.

PARS TERTIA.

CAPVT. I.

Tertia quæſtio a nobis examinanda hæc eſt. An idem Nauarrus recte excuſet a peccato & reſtitutione, multos ſubtrahentes debita principibus vectigalia?

VNO ABSVRDO dato ait Philoſophus, plurima alia conſequuntur, quod quidem in doctrina Nauarri & ſequacium euenire luculenter perſpicimus; Siquidem ex ijs quæ docuit hactenus ſuis aſſertionibus, & præſertim in genere de lege pœnali miſta contra doctrinam ſummorum Theologorum & Iuriſcon-

Iuriſconſultorum, illam ob poenę additionem ad peccatum non ligare, aliquid corrolarii vice multo durius atque abſurdius ſubinfert; eos non peccare qui important in regna vel vrbes prohibita inferri vel extrahi non ſoluto vectigali & portorio, propter periculum poenę incurrendę, cui ſe ſubiiciunt. Contra quam falſam & periculoſam ne dicam erroneam doctrinam, ante Nauarrum ſeu editionem ipſius Manualis ſcripſit grauiter & ſolide idem Alphonſus a caſtro lib. 1. de lege pœnali c. 10. Ex hac falſa ait, doctrina hunc inter alios deducunt errorem (nota erroris nomen) quo docent eos qui tributa principibus debita ſubtrahunt non peccare, neque ad vllam reſtitutionem obligari, propterea quod ſic facientes ſe committunt periculo pœnæ, quæ eſt per legem ſtatuta. Pergit Alfonſus.

Alfonſi doctrina contra Nauarrū late recitatur.

Ex qua falſa doctrina non paruum regii patrimonii diſpendium eſt ortum Teſtor enim Deum & non mentior quod mihi conſtat multos ex hac ſola ratione, denegaſſe in Hiſpania Regi tributa quæ iuſte regibus ſunt debita. Specificat hanc generalem doctrinam in certis tributis quæ in Hiſpania ſoluuntur & iuſtiſſime antiquo iure debentur, pro his quæ exportantur vel importantur, in quibus Rex ex hac doctrina fraudatur, tum ſubdit. In his omnibus tributis, quamuis Rex ſæpe & ſæpiſſime ſit fraudatus: illi

Diſpendiū regij Patrimonij ex doctrina Nauarri de lege pure pœnali.

illi tamen qui illum fraudauerunt, nullam prorſus reſtitutionis memoriam habent, nec illos quod peius eſt, de huiuſmodi male retentis tributis conſcientia illorũ accuſat, & inde vlterius euenit vt nunquam ſe de hac re coram ſacerdote in ſecreta confeſſione accuſent: putãt namque ſatis eſſe quod ſepericulo committant, & hac ratione ſola putant ſe a culpa & obligatione reſtutirionis liberatos. Rem mihi plane notam narro, quam ego ipſe vidi, & non quam ex aliorum relatione didici: Nam multi mercatores in varijs Hiſpaniæ locis me de hac re conſuluerunt, quibus conſtanter & eodem tenore ſemper reſpondebam, illos qui talia tributa denegant peccare mortaliter, tenerique ad reſtitutionem, quamuis ſe ex ponant periculo pœnæ per legem impoſitæ, & multos ad reſtitutionem faciendam coegi. Multi tamen alij, quibus ego placentia non dicebam mihi credere nolebant, dicentes ſe ab alijs viris doctis didiciſſe, nullũ in tali re eſſe peccatũ, nullamq; reſtitutionis obligationẽ, propterea quod lex pœnalis contra illos condita omnem, vt dicebant, tollat obligtionẽ: & hæc ait fuit altera cauſa quæ me impulit ad ſcribẽdum hoc opus de lege pœnali, vt per illd huiuſmodi errori occurrerem, qui ſimul quorundam hominum conſcientias, & aliorum marſupia lædit. Hæc ille, & paulo ante in argumento eodem vel admodum ſimili conta eos

Sic peccãtes ex doctrina Nauarri nec conteruntur, nec cõfitentur, nec reſtituunt.

P qui

Ex doctrina Nauarri non solũ principes in tributis fraudãtur, sed & priuati Possessores syluarum & pascuorum.

qui ex hac ipsa quam confutamus doctrina, inferunt licere cædere ligna ex aliena sylua, & pascere alienas herbas si prohibitioni cædendi, aut pascendi pœna sit addita. Testor Deum inquit, quod de hac re fui sæpe a variis hominibus, & variis prouincijs interrogatus, quibus omnibus cum cõstenter responderem illos in talium rerum captura peccare mortaliter, nec posse a peccato absolui, nisi taliter capta restituant, obiiciebant mihi se contrarium ab aliis viris doctis, audiuisse. Interroganti mihi quinam essent illi viri docti, sic perperam docentes, quosdam nominarunt, quos ego vt ingenue fatear inter mediocres discipulos non computassem; tantum abest vt illos vere doctos esse cẽseam: populus tamen propterea quod in celeberrimis ciuitatibꝰ & populi magna frequentia illos sæpe prædicantes audiebat, illos vere doctos esse existimabat: putat enim populus (& quidem merito) prædicationis officium non esse nisi viris doctis committendum, & ideo nisi prædicatoris imperitia sit aliunde manifesta, nunquam sibi populus persuadere potest, vt doctus non sit ille, cui sit aliorum docendorum officium cõmissum, & hinc sępe euenit, vt quoties populum vexat de re agenda dubitatio ad predicatorem tanquam præcipuum legis doctorem accedat, & inde oritur vt hic de quo agimus & alii multi similes errores in populo versentur, qui illum

Indocti cõcionatores memorata peccata fouent.

secu-

ſecurum in varia peccata deducunt. Sed ſi a ſolis indoctis (pergit) prædicatoribus hic error emanaſſet forte iam periiſſet. Sunt tamen adhuc alii, qui abſq; prædicationis officio pro doctis a populo rudi haberi conantur, qui huic errori aperte fauent, aut magnam aliis errandi occaſionem præbent, propterea quod generaliter docent nullam eſſe culpam in eo opere pro quo lex aliqua poenalis ſtatuta eſt. Teſtor enim Deum & non mentior, quod ſæpe audiui hanc ſententiam doceri a multis qui pro doctis exiſtimabantur. Et certe hæc vna ex præcipuis cauſis fuit quæ me ad hoc opus ſcribendum impulit, vt huic errori peſtifero, quem ſciebam multorum peccatorum fuiſſe cauſam, occurrerem. Timebam namque ne dicerem aliquando mœrens cum Eſaia: væ mihi quia tacui, timebam etiam ne in illud Leonis Pontificis incurrerem. Qui alios cum poteſt ab errore non reuocat, ſeipſum errare demonſtrat. Quis enim vir doctus & catholicus, vere tollerare potuiſſet ſententiam tam peſtiferam, quæ docet furta poſſe ſiue peccato exerceri, & quæ furto ſublata ſunt poſſe ſiue peccato retineri. Gratias ago Deo meo ingentes quia non permiſit me tam ferreum eſſe, vt potuerim tollerare ſententiam tam erroneam, quæ dicat legis diuinæ poteſtatem & obligationem pœnæ, abrogari per ſolam legem poenalem ab homine ſtatutam.

Scioli eundem errorē & illius erroris peccata fouēt.

tutam. Nam qui ita docet, hac ſola ratione Deum homine inferiorem faciunt. Si nulla eſſet lex pœnalis ab homine ſtatuta contra eos qui ligna ex alienis ſiluis capiunt, aut qui pecora in alienis pratis paſcunt, nullus iſtorum qui hæc docent auderet dicere illos ſic facientes non peccare, quia contra legem Dei, quæ furta prohibet illos facere apertiſſime conſtat. Quod autem tali lege pœnali ab homine conſtituta (vt illi dicunt) non peccent qui talia faciunt, euenire nullatenus poſſet, niſi lex humana ſuſtuliſſet poteſtatem legis diuinæ, quod nefas eſt dicere & piæ aures audire horrent. Hactenus Alfonſus a Caſtro docte, pie, pugnaciter, & inconcuſſe, quæ verbotenus inſerere volui, vt ex ijs lector non modo viri ſolidiſſimi doctrinam, ſed & flumine, & fulmine tonitruque verborum, a falſa illa & erronea doctrina deterritus, hanc noſtram longe tutiorem, euangelio & ſacris doctoribus conformiorem amplectatur, quam eo pluribus & proſecutus ſum, quod eam a magni nominis verbi Dei concionatoribus diſputandi cauſa forſitam prolatam verius quam traditam, magno applauſu ab alijs viris doctis non paucis exceptã, & ſuſceptam, atque defẽſam eſſe ſciam. Vbi hoc notandum eſt, ſi in longi alicuius temporis præſcriptionem, eiuſmodi furta tributi regij retuliſſet Nauarrus, excuſabiliorem

Huc vſque Alfonſus.

aliquanto

aliquanto futurum fuisse, quia in præscriptione longa conniuentia, dissimulatio & veluti approbatio tam legislatoris, quam eorum quorum interest, efficit vt alienum desinat esse alienum. Itaque maneret lex tributaria extra casum huiusmodi longioris possessionis in suo vigore. Quod vero huiusmodi furta, sola adiectione pœnæ ad legem humanam, purgari vult, id est, vt verbo dicam facto humana legis diuinæ de non furando tolli existimat obligationem, id ab omni ratione per quam alienum iudico. Iam vero Nauarrum in ipsas pœnas legibus additas respexisse, non ad consuetudinem, inde manifestum est, quod in manuali, conclusione de lege pœnali mox subinferat. Ex prædictis elicienda est ait, determinatio plurimarum & perplexarum quæstionum, quas passim interrogantur docti ab ijs qui importent vel exportant mercaturas non soluto vectigali, qui item cædunt ligna in siluis eis vetitis, & alijs rebus, qui solam legem humanam ecclesiasticam vel sæcularem pœnalem, vel non pœnalem violant, vbi nullius præscriptionis aut consuetudinis meminit. Verum re maturius perpensa scribens iam decrepita ætate in Capit. d. Confraternitas qui commentarius integer non est, consuetudinis fere solius pretextu, regiorum tributorum defraudationes tuetur. Sic enim ille satis animi flu-

Via aptior excusandi superiora peccata.

ſubditis,approbari a confeſſarijs,quod ſumit Nauarrus,verùm non eſt, cum ſuperiores quatenus poſſunt legibus etiam pœnalibus obuient,populus Deum timens eiuſmodi damna Principi aut Reipublicæ illata exomologeſi purget & ſponte ſarciat,confeſſarij non immodice laxi ad id præſtandum pœnitentes vel inducant vel præcipiendo compellant; vt non mirum ſit ipſummet Nauarrum profiteri, ſeſe per viginti annos ſuſpendiſſe in hac re ſententiam, dum videlicet viam eiuſcemodi fraudes publicas excuſandi quæreret. Interrogatus ait ante annos, quinquaginta, memini me ſemel ſcripto reſpondiſſe, & deinde recuperato reſponſo ſuſpendiſſe ſententiam, donec otio competenti ſuppeditato inuenirē rationem formalem qua dubietatem animi expellerem, quam per viginti annos & amplius non inueni, idcoque eo tempore ſolebam reſpondere confeſſariis, vt abſoluerent confeſſos qui vere proponerent facere quiquid in hoc tenerentur, ſecundum iuris diuini & humani peritorum ſententiam. Verùm longe ſatius fuerat Nauarrū in ſuo dubio 20. annorum remanſiſſe, quam propter incertum & periculoſum conſuetudinis velamen, tam ſingularem aut ſane quaſi ſingularem opinionem amplexum fuiſſe. Siquidem antiquiores tam ſcholaſtici, quam canonum periti, nullam iſtiuſmodi conſuetudinis ratio-

Nauarr. in ca. Confraternitas. 12. q. 2.

nem

distinguit debitum pœnæ a debito restitutionis in lege pœnali, quod ad debitúm pœne soluendum non teneantur subditi ante condemnationem ; ad restituendum vero quod fraudauerunt tenentur etiam nemine petente nulloque condemnante alio quá conscientiæ iudicio. Pergit Siluester: Ad peccatum autem quod spectat omnes ijdem Summistæ & Doctores qui ligant ad restitutionem, ligant & ad culpam. Tantumdem pene dicit Armilla aurea eodem verbo, gabbellas inquit quę iustæ sunt fraudare ex genere suo mortale est quia Reipublice nocumentum infertur, & non tantum ex inobedientia vel ex pœna contra transgressores, neque defraudantes eiusmodi excusantur à peccato propter pœnam. Et ne existimes vetustiores doctores ignorasse consuetudinem illam aut verius corruptelam, vel non in eam vllo modo oculos coniecisse, audi mox seqnentia, & licet inquit fiant multæ fraudes, dicitur tamen, væ homini illi per quem scandalum venit, propterea tales tenentur restituere etsi nolunt restituere non absoluantur. Vide de re eadem resentem Anto. Archidiacon. Flor. 2. parte cap. 13. §8. non soluẽtes inquit iusta pedagia & telonia rapinā faciunt seu furtum secundum Raymũdum, vnde tenentur ad restituendum illis quibus talia debentur. Veteribus succenturiantur Dominicus a Soto lib. 3. quest. 6. art. 7.

Antoni Archidiaco: Rumũ D. a Sot. Emma: S4: Caiet.

Item lib. 4. quest. 6. art. 4. Alfonsus a castro lib. 10. de lege pœnali cap. 11. Iacobus a Graphijs in decis. aureis lib 2. cap. 140. Emmanuel sa Gabellam inquit fraudare & non restituere peccatum non esse mortale docti viri asserunt. Ego id in totum non ausim asserere. Caietanus in summula verbo vectigal, Iustorum inquit, vectigaliũ fraus peccatum est mortale ex suo genere, & ad furti vitium spectat, infero, ergo obnoxia est restitutioni eiusmodi fraus. Hec Emmanel & Caietanus, quamuis alioqui quibusdam videri posint vectigalibus iusto iniquiores. Ille siquidem Emmanuel peccatum etiam mortiferum agnoscens, obligationem restituendi negat. In hoc inquit dubio grauium doctorum, melior est conditio possidentis. Dicunt enim quidam vix vllam gabellam esse iustam. Alii omnes fere dubias, inter istos non dubium est quin comprehendat præfatum Caietanum, cuius hec sunt verba loco citato. Tot inquit conditiones exiguntur ad iusta vectigalia, vt difficile forte sit iuuenire vectigalia iusta, & propterea dicit canon capituli Quamquam de censibus in 6. pedagiorum exactiones tam iure canonico quam ciuili regulariter esse damnatas, & infra. vectigalia quę pedagia dicuntur tot laqueis & damnationibus subsunt &c. Et tertio concludit, quid adhuc egemus testibus, si etiam ab omnibus gabel-

Etiam iniquiores in tributa Doctores agnoscunt illa fraudata, restitutioni obnoxia.

gabellę dicuntur & vocantur, ita quod & nomen & rem gabellæ habent, ac per hoc inquit, iniquitatem. Hec verbotenus illi rigidissimi & seuerissimi vectigalium censores, qui tamen in eo a Nauarro longissime dissident, quod ille per consuetudinis sue generalis aduersus vectigalia velamen omnem rationem peccati excludat, quamuis illa sint iuste imposita. Quod enim aliquis facit contra legem etiam diuinam & naturalem non furandi authore consuetudine legitime pręscripta, in eo nullo modo peccat, cum Prescriptio legitima sit vnus modus transferendi rerum dominia. Quamuis igitur opiniones tam Nauarri quã Emmanuelis & Caietani in principes & eorum tributa, duriusculæ sint, vtpote immodice laxæ & propter periculum præcipitij conscientiarum non ad populũ meo iudicio predicandæ, haudscio an in pulpitis scholarum ferendæ, attamen coeteris periculisiorem Nauarri doctrinam censeo, quod simul & reatum peccati & obligationem restituendi funditus tollat. Hoc dixerim, quamuis alias cap. 17. eiusdem sui manualis num. 200. scribat & peccare mortaliter & teneri ad restitutionem qui iuste imposita vectigalia non soluunt iuxta Hostiensem in summa & communem, vbi notate secundo eum mox relabi in priorem sententiam, dum subdit nisi inquit legislator homo addi-

tione pœnæ intenderit tacite vel expresse remouere obligationem ad pœnam ęternam. Quasi vero vnquam contigerit vt legislator homo remouerit expressis verbis obligationem ad pœnam ęternam, presertim in materia vectigaliũ, que non imponuntur aut saltem imponi præsumi non debent, nisi ex iustis & quidem grauibus causis, vnde qui eorum solutionem edictis suis indicunt quam maxime firma & stringentia eiusmodi edictorum vincula esse satagunt, tantum abest vt aliquem nexum verborum expressa forma remoueant. Ac tacite id facient Qui sciam? nisi diuinatione & animi confictione qua persuasus, aut verius cuius confictionis pretextu, quilibet in iura regia publice & in bonum Reipublicę constituta inpune prorsus grassabitur. Et mirum sane est doctores istos pro priuatorum bonis alioqui tam anxios, publici, cõmunis, & Reipublice boni ac veluti patrimonij adeo suis laxis glossamentis curam pene omnem abiicere, cum longe grauior sit iniuria, & acrius ideo vindicanda in publicum quam in priuatum commissa. Tributa autem Principis sunt non vt priuati, sed vt personam & caput Reipublicę gerentis, & ad eiusdem Reipublice necessarium bonum instituta. Sentio quid mussitare aliquis possit ex Caietano, cuius doctrina nolim vti ad populum nisi admodum sobrie, sed bene erga publicanos & redemp-

Grauius peccatum est fraudare principẽ quam priuatos.

& redemptores vectigalium qui nimia tyrannide in exigendo vterentur.

CAPVT. III.

Contra Caietanum vix vlla iusta tributa asserentem & probare male nitentem.

DIXERIT ergo quispiam cum Caietano totam nostrã doctrinã & superius citatorum doctorum in iustis valere tributis; iusta autem tributa raro admodum inueniri. Respondeo Caietanum in re tanti ponderis more suo confidenter admodum audenter & periculose; sed falso vti reor id proferre. Nam quod ad antiqua tributa, quorum initium & causa omnem hominum memoriam & notitiam excedunt, in his nefas est scrupulos ingerere cõsensu omnium doctorum, vt valde mirum sit Caietanum ausum dicere sine discrimine vix vllam gabellam iustam esse. Ad nouas gabellas quod attinet, cum illæ semper vel vt plurimum lege supremam potestatem habentis, vel consensu populi ex causa minime leui imponantur, pro earum quoque iustitia præsumi debet: secus si fiat, licebit pariter omnia principum edicta hoc colore & obtentu conculcare, quod non satis iusta & iuste promulgata videantur, cum tamen

Iustitia indubitata antiquorũ vectigalium.

Iustitia præsumpta nonorum vectigalium.

men (dũmodo conſcientię res non agatur) etiã duntaxat vitandi ſcandali cauſa lex ſeruanda ſit, quamuis iniuſta. Concluſio eſt Dominici a Soto lib. 10. de iuſtitia & iure queſt. 6. Leges illę inquit quæ humano tantum bono aduerſantur, licet in conſcientia de ſe non obligent, ligant tamen quandoque ratione ſcandali Libro vero 4. queſt. 6. ſpecialem habet concluſionem Caietani doctrinæ prorſus aduerſam, vectigalium inquit & tributorum leges, quę publicitus regi tanquam ſtipendia tribuuntur, in conſcientia obligant ad ſoluendum ante ſententiam, dico ait dum tributa iuſta ſunt. Atqui vbi res eſt dubia tunc iudicium non pertinet ad ſubditos, ſed recurrendum eſt ad ſuperiorem, & interim ſeruandæ ſunt leges niſi apertiſſimam præ ſeferant tyrannidem. Hęc a Soto firmiſſimis nixus fundamentis. Ex quibus colligo contra Caietanum non verum eſſe quod ait, præſumendum eſſe contra iuſtitiam vectigalium, tam ſpectata poteſtate indicentis quam cauſa, fine, & alijs; nos contra dicimus pro legibus & earum iuſtitia, ſimiliter pro tributis & eorum ęquitate præſumendũ tam a pœnitentibus quam a confeſſarijs, alioqui vniuerſum tributorum ius ſubditis vtcumque exoſum periclitabitur, nemo etenim non exiſtimabit ſibi licitum denegare quod ius ipſum & doctorum placita iniuſtum eſſe præſumunt, & quidem tot mo-

Non vere Caietanus ſcribit præſumendum eſſe contra iuſtitiam vectigaliũ, cum indubitate præſumendum ſit pro iuſtitia omnis legis.

tot modis Caietano teste præsumunt, videlicet ratione potestatis, vitio materiæ, aut formæ, defectu etiam finis legitimi. Dicat velim Caietanus. An tributa que soluebant Iudęi Romanis seu Cesari, id est fideles infideli principi, fuerint iustiora his que Christiani Christianis principibus soluunt? minime gentium respondebit ille. Cur igitur adeo suspecta reddis Christianorum principum iura? cum Christus de censu Cæsaris infidelis intrepide indistincte & vniuersim responderit aduersarijs tributorum, Reddite que sunt Cæsaris Cesari & que sunt Dei Deo, præsumens indubie pro eorum iustitia, alioqui responsioné vel sapienter declinasset vel mitigasset. Quod enim pro se Caietanus profert ex capitulo Quamquam de consibus in. 6. pedagioram exactiones, tam iure canonico quam ciuili regulariter esse damnatas, cui conforme est quod simili titulo in Decretal. cõtinet capit. Perueuit, Censum ignorantie (id est interprete Glossa, cuius causa ignoratur) nec diuinis nec humanis legibus inueniri oportet, quippe inquit vt omnis census ad quid & quando persolui debeat præsciatur. Hec inquam & alia similia tam pontificij quam, ciuilis iuris loca, Caietano ideo nou suffragantur quod loquantur de vectigalibus recentissime institutis, queque in vsum nunc primum veniunt, sic vt publice eorum causa

Exemplo vectigaliũ que soluebat Christus Cesari vrgetur Caietanus.

Perperam Caietanus leges & canones pro se allegat.

causa & iustitia ignoretur, ideoque eorum exactio vtroque iure damnata censeatur, minime vero vult cognitionem causæ & iustitiæ esse priuatorum, vt verbi gratia confitentium & confessariorum, vt præsumant de eorum iniustitia quæ iam publice a Republica ipsa suscepta sunt; alioqui ingens in Republica confusio & perturbatio in his exigendis orietur. Iuuatur hæc nostra interpretatio commentario Innocentii in dictum capitulum Peruenit. Hoc ait capitulum loquitur quando petens censum non est in possessione, alias quousque succumberet in proprietate, defenderetur in possessione census. Item paulo post ad voculam texus ignorantiæ, id est inquit cuius causa ignoratur, & etiam, ignorarur vtrũ debeatur, quia si certum esset deberi censum, licet nulla causa subesset, tamen solui deberet, quia licet obligationes non quærantur tempore, tamen seruitia & seruitutes etiamsi non habeant causam continuam, bene quæruntur tempore. Hactenus Innocentius. Medina Codice de rebus restituendis quæst. 14. Capitulum idem Peruenit nobiscum de recentibus tributis exponit, docens alioqui cessante omni causa pro qua tributum institutum fuit, si legitime præscriptum sit, fraudatorem obligare, ad fraudati restitutionem, quauis lege pœnali non obstante. Roborat eandem nostram sententiam & inter-

interpretationem Leonardi leſſij Theolo. ex ſociet. nominis Ieſu l. 2. de iuſtitia & iure c. 33. dubita: 8. Vbi ſuper hac quæſtione citatis in contrariam ſententiam Caietano, Angelo. Gabriele in 4. Driedone. De libert. chriſt. c. 5. & alijs, tamdem ſic ſuam profert ſententiam. Reſpondeo ait, verius eſſe ad ſolutionem vectigalis non eſſe neceſſarium vt ipſis ſubditis conſtet eſſe iuſtum, ſatis eſt vt non habeant probabiles rationes obquas putent iniuſtum. Quia ſubditus in dubio negatiuo(id eſt quando dubitat ex ignorantia quod in neutram partem rationes habeat) tenetur ſe conformare iudicio ſuperioris. Deinde vt Princeps imponat vectigal, ſufficit vt probabiles rationes habeat, non vero opus eſt vt ſit certus ſpeculatiue. Nec obſtat præſumptio, quia non damnantur vectigalia ſed approbantur iure ciuili & canonico C. Super quibuſdam de verborum ſig. & L. non ſolent C. Vt vectigalia noua. Hæc ille clariſſime deſtruens illam præſumptionem Caietani contra vectigalia, aſſerens contrariam præſumptionem ex vtroque iure. Et ſane ſi quis oculate introſpiciat tam Canones citatos quam leges nullum fundamentum præſumptionis contra vectigalia etiam noua deprehendet, ſolum audiet non temere & ſine cauſa imponenda, nec abſque Principis authoritate iuſta dici poſſe. Vnde qui aliud contra iura princi-

pum colligere contendunt abutuntur non ſolum fœde legibus & ſacris canonibus, ſed & famæ doctrinæ ſuæ iniuriam faciunt. Hac doctrina tanquam longe tutiori, quoad licet conſcientiarum iudicibus erga pœnitentes flexibiliores, & qui inopia non laborant vtendum cenſeo, erga vero duriores & quibus res domi anguſtior ac præſertim ſi de tributis non adeo iuſtis agatur, contrariam doctrinam ſi ſequantur propter authoritatem & rationes Nauarri, Caietani Emmanuelis & aliorum Doctorum orthodoxorum reprehendere non auſim.

CAPVT. IIII.

Ex euangelicis literis confoditur & exploditur ſuperior Caietani & Nauarri doctrina.

FVNDATA eſt luculenter hæc doctrina in iure tam diuino quam naturali. Diuino quidem quia ſubditi qui ex particulari principis priuilegio non ſunt exempti, tenentur ex obligatione legis diuinæ ſoluere principi tributa. Ex quo apertiſſime colligitur illos a tali legis obligatione non liberari ex eo quod exponunt ſe periculo pœnæ, quæ per

legem

legem humanam contra eos qui tributa non ſoluunt ſtatuta eſt. Conſequentia hæc notiſſima, eſt ex iis quæ diximus legem humanam pœnalem non poſſe tollere obligationem legis diuinæ. Antecedens vero ſubditos iure diuino teneri ad ſoluenda principibus iuſte impoſita tributa ex verbis Chriſti Domini ore prolatis Math. 22. manifeſtum eſt. Reddite inquit, quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ ſunt Dei Deo, non ait date vt ſit liberalitatis & gratitudinis in principem, ſed reddite tanquam alienum & lege iuſtitiæ debitum. Vnde etiam eadem tributa vocat Chriſtus res principis, quæ ſunt inquit Cæſaris. Porro per ea quæ ſunt principis ne quis ſtulte imaginetur contra materiam ſubiectam & argumentum quod illic verſat dominus, non tributa ſed alia veluti patrimonialia bona, vel etiam prædia agros gazaſue, regias intelligi, audiat quiſquis ille eſt delirus interpretationem doctorum ſanctorum literæ euangelicæ inhærentem. Beatus quidem Hieronimus in commentarijs ſuper Mathæum nomine eorum quæ ſunt Cæſaris, dicit intelligi tributum Cæſari debitnm ſic inquiens. Porro quod ait Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari id eſt nummum, tributum, & pecuniam, & quæ ſunt Dei Deo, decimas, primitias & oblationes ac victimas ſentiamus. Hæc B. Hieroni. Theophilactus eadem. Sal-

uatoris verba interpretans ait, Iesus per hoc quod figuratum erat nunisma Cæsaris imagine, persuadet illis deberi Cæsari quæ eius sunt, hoc est quæ habent eius imaginem, & in corporalibus & externis obediendum est regi, in internis & spiritualibus, Deo. Hæc Theophilact⁹. Idem B. Hieron. in Matth. 17. ad historiam de statere quem iussit dominus solui nomine tributi pro se & Beato Petro, sic inter multa huc pertinentia scribit. Ergo tributa quasi regis filius non debebat, sed qui humilitatem carnis assum pserat, debuit adimplere omnem iustitiam. Idem tertio postea quam ad 22. Matthæi dixisset illa verba. Reddite quæ sunt Cæsaris &c. de tributis Cæsari debitis intelligenda, hæc verba subdit, quomodo & ipse reddidit tributa pro se & B. Petro, ex quibus verbis aperte constat illum in hac sententia firmum, vt semper censeat staterem quem iussit Petro vt pro se & illo daret, esse pro tributo quod Cæsaris nomine petebatur redditum in exemplum iustitiæ & debiti. Rursus tributa esse ex lege naturali principibus debita aperte ex eorum ministerio conuincitur, & ex laboribus quos illi pro vtilitate populi sibi commissi subeunt. Iustum est enim vt aliquod illis pro suis laboribus stipendium reddatur. Nam vt dominus ait Luc. 10. Dignus est operarius mercede sua: Principes autem vt Apostolus ait ministri Dei sunt

Non solum lege diuina sed & naturali tributa Principibus debentur cōtra Caieta. & Nauarr.

ſunt ad Dei honorem & populi vtilitatem ſeruientes, & pro illo laborantes. Multi enim & varij ſunt labores quos principes pro populo tollerant, ex quibus multæ etiam & variæ oriuntur rationes propter quas conſtat tributa illis ex iure naturali deberi. Laborant principes pro populo in executione iuſtitiæ, vt ſua cuique reddantur, vt nemo alterum lædat, nemo alteri iniuriam inferat, ſed omnes tuti ſint & ſecuri, & omues quietam & tranquillam vitam agant: niſi vnus eſſet in populo princeps cui omnes æque obedirent aut obedire tenerentur, quique omnes ad iuſtitiam ſeruandam cogeret, eſſent homines vt ait Propheta Abacuc velut piſces maris, in quo maiores non raro minores deuorant. Huic tam magno operi & labori quem princeps pro populi vtilitate ſuſtinet, aliquod ex iure naturali ſtipendium debetur. Quis paſcit gregem ait Apoſtolus 1. Cor. 9. & de fructu eius non manducat? Atqui principes omnes quamuis ſæculares, paſtores ſunt, & paſtoris nomine a Deo per Ezechielem prophetam dicuntur vt ibidem D. Hiero. exponit, paſcunt gregem id eſt populum commiſſum, iuſtitia, pace, tranquillitate. Nemo militat ſuis ſtipendijs ait ibidem idem Apoſtolus. Atqui princeps etſi pericula in perſona non ſubeat ſemper nihilominus militare dicitur, quoniam totum belli pondus in illo conſiſtit. *Ezechi. 39.*

Ille quippe est qui milites ad bellum colligi & conscribi mandat, ille eligit duces, ille ad machinas ad munitiones, ad omnem belli apparatum sumptum omnem suppeditat. Vnde nisi ex tributorum & vectigalium persolutione? hinc. Agustinus lib. 22. contra Faustum c. 74. Ad hoc tributa præstamus vt propter necessaria, militi stipendium præbeatur. Nec satis est vt pro hac re tantum tributum reddatur, quantum sufficit ad soluendum stipendium militibus ad bellum necessarijs: sed opus est vt ipsi principi pro labore quem belli tempore sustinet aliquod stipendium tribuatur, quinimo etiam pacis tempore si non habeat Princeps, necessum est vt populus pro suis & de suis facultatibus tribuat tam abundanter & largiter, vt is commode & congruenter fastigio regali viuere possit. Huc facit quod Apostolis tributa inter varia debita enumerat dicens. Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal. Et præcedit causa. Ideo & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Qui Apostoli locus vrgentissimus est pro soluendis vectigalibus, quæ a christianis id temporis, infidelibus principibus debebãtur, quanto vrgentior pro his quæ fidelibus nostræ incolumitatis custodibus & procuratoribus a nobis debentur. Non enim significat debitum, sed

debiti

debiti causam. Ministri enim ait Dei sunt in hoc ipsum seruientes, quasi dicat vectigal Principibus deberi in stipendium seu honorarium aut mercedem administrationis Reipublicæ. Ex quo ita argumentari licet. Respublica lege iustitiæ debet Principi iustum stipendium functionis suæ & laboris, curæ & solicitudinis, administrandæ Reipublicę, debet item subsidium necessarium ad conseruationem publicæ incolumitatis & tranquillitatis. Hoc enim si non expresse tacite tamen promisit, dum eum sibi præposuit. Quando ergo obligatio hæc in singulas perteis Reipu. distributa est, assignata vnicuique portione sua & determinatis rebus ex quibus soluenda sit, singuli ex iustitia illam tenentur soluere. Eadem namque obligatione qua Respu. tenetur in genere ad sumptus, necessarios, singuli in particulari tenentur ad suam partem, ipsis debito modo assignatam. Nec enim dici potest illa partitione oneris, ius esse mutatum ex diuino in humanum. Quare cum singulis assignetur pars sua in tali vectigali, tenentur singuli iure diuino & lege iustitiæ non solum obedientiæ, vectigal soluere. Quod quidem sic magis perspicuum reddi potest. Facta determinatione decimæ prius soluendæ ministris ecclesiæ in stipendium sustentationis, singuli ex iustitia tenentur decimam illam soluere, ergo similiter facta determi-

natione

natione vectigalis quantum & de quibus rebus sit soluendum Principi, singuli lege iustitiæ tenentur illud soluere. Est enim par vtrobique ratio. Sicut enim decimæ debētur Prælatis Ecclesiæ ad gubernationem spiritualem, ita vectigalia Principibus debentur, ad gubernationem temporalem, nec minus diuino iure quam decimæ Ecclesiasticis sunt debitę. Quæ consideratio mouere non immerito potuit & debuit omnes Summistas excepto vno Angelo (obseruante Syluestro verbo Gabella. 3. numero 20. & 22.) vt vna nimiter scriberent fraudantes Principum vectigalia in quantitate notabili, & peccare mortaliter & ad restitutionem teneri, quos quidem Summistas in eo secuti sunt grauissimi quique Theologi & Iureconsulti quicumque hoc argumentum attigerunt, inter quos præter superius memoratos, cernere est Couarr. ad regulam Peccati p. 2. §. 5. nu. 5. & Medinam q. 13. De rebus restitu. vt mirum sit Nauarrum relicta tam densa testiū nube, tanta euangelij luce, tanta denique rationum multitudine, vnius alicuius Summistæ, in re adeo Rempu. tangente, vestigia sequi voluisse. Esto namque lex pure pœnalis nihil præcipiens aut vetans, sed duntaxat facienti aut non facienti pœnam minans aut infligens, non liget ad culpam (quod tamen late confutauimus) an ideo auferet culpæ periculum

si princeps

ſi princeps præcipens aut vetans pœnæ comminationem adijciat? Et eſto abſurditatem hanc concedamus; an propterea in eam monſtroſam opinionem deueniemus, vt etiam pœnarum minas legibus diuinis additas, iiſdem ad peccatum mort. obligandi omnem vim adimere exiſtimemus? Ita ſi *D*iuis placet in hominis poteſtate fuerit, diuinarum legum poteſtatem aſſutis ſuis additamentis euacuare. A quo loco priuſquam recedam, Lectorem perpendere velim, quam iniuſte, temere, vel ſane parua de cauſa, aduerſarii non contenti legiſlationis humanæ generatim robur luxaſſe, ſpeciatim leges tributarias dubias reddiderint: cum locus ille B. Pauli Rom. 13. Omnis anima &c. in quo ſitũ eſt potiſſimũ fundamentum ſtabiliendæ authoritatis legum humanarum, cum inquam ille locus vrgens apertiſſime peccatum & quidem mortiferum, præ aliis, ſpeciatim, adeoque nominatim, de tributis agat, quod ipſum *D*octorem Latomum obſeruaſſe, in ſuperioribus notauimus: vbi etiam *P*ontificis Adriani meminit inculcans de nouo ſententiam ſuam in hęc verba. Quod humanæ legis tranſgreſſio ſit mortalis, etiam ſine concurſu diuinę legis, probat Adrianus *P*ontifex de vectigalibus ſoluendis, de vera quota decima, & ad quę obligatur homo humano pręcepto alias non, & nihilominus

peccat mortaliter eiusmodi pręceptum transgrediendo. Hæc ille. Dum probandi finé meditor, ecce occurrit grauis ille Theologus Ioannes Driedo libro 3. de libertate Christiana. Tanta est inquit harum legum constitutionum, consuetudinum, iuriumque municipalium vis, & efficacia, vt subditus quisque contraueniens illis, & clam seu occulte, vel palam sibi vsurpans de temporalibus rebus contra huiusmodi leges, sit alienæ rei inuasor, fur, raptor, iniustus bonorum possessor, qui neqũe ab iniustitia poterit liberari, neque veram agere pœnitentiam, nisi restituendo. Hactenus ille.

Capvt. V.

Sigillatim respondetur ad argumenta Nauarri

D. cap. confrater. nu. 42.

Nititvr Nauarrus consuetudinem qua de agitur iustificare, hoc modo. Consuetudo potest tollere & modificare omnem legem humanam: At licet sustentatio necessaria Principi decenter sustendando debeatur, iure naturali iubente mercenario mercedem soluere; iure tamen humano est instituta quantitas sustentationis, & ita potest illam consuetudo modificare vel augere. At consuetudo dictans ne quis sine mendacio & periurio occultans aliquas merces, ad aliud non teneatur, nisi vt depre-

vt deprehensus soluat solitum vectigal cum auctario dupli vel quadrupli, non tollit sustentationem regiam sed moderat eam tantum, ergo potest valere. Hæc totidem verbis Nauarrus. in d. ca Confrat. Ad quod argumentum respondentes, concedimus Nauarro posse forsitan introduci talem consuetudinem, negando talem vmquam actu introductam, vti præsupponit etsi in argumento non dicat. Si namque talis esset consuetudo, deberet conniuentia Principum & ministrorum iustitiæ tollerari, id est ipsis videntibus scientibus & tacentibus seu non punientibus, tacite approbari. Non enim quæcumque consuetudo etiam inueterata legem abrogat; sed tum demum quando *P*rinceps potest abusum cohibere, & non ex negligentia seu oculata dissimulatione illum permittit, D. a Soto. de iusti. & iure lib. 1. q. 7. art. 2. Adde consuetudinem nullam posse prçiudicium generare iuri positiuo, nisi fuerit rationabilis & legitime præscripta, Cap. Cum tanto de consuet. *P*ræscriptio autem iuxta Capitulum Vigilanti ext. De præscrip. pro fundamento habet bonam fidem, hoc est scientiam vel credulitatem quod res sit tua, quam non habere se manifeste demonstrant, qui occultant merces ne venientes ad lucem, oneri & iuri tributorum subijciantur: *P*orro vt consuetudo valeat contra legem & canonem ne-

cessũ esse vt sciẽte Principe inducta sit, sicut obseruat Glossa cap. vlt. de consuetud. verbo legitime, vbi inter alia requisita ad consuetudinem, quartum est vt inducatur sciente Principe, sicut etiam alia Glossa cap. frustra dist. 8. Oldrad. consilio 237. Quod tanto magis hic exigitur, quod agatur non sola inobedientia legis, sed præterea defraudatio iuris Principis in denarijs quos vocãt priuilegiatos. Nec refert quod satis per se & suos videatur Princeps nosse istum abusum in fraude suorum tributorum, quia scit tantum veluti speculatiue & in genere & confuse, non scit autem in particulari & practice hunc & illum in tanto fraudasse, vt possit punire, quæ cognitio requiritur vt dicatur sciens dissimulare.

Et sic quidem Nauarro responderi potest præsupponenti fraudatorem vectigalium (pœnalium præsertim idest quibus adiuncta est pœna fraudantibus) peccare duntaxat in legem humanam; modo aliter nec minus vere ad prius assumptum respondere possumus, ipsam quantitatem vectigalis soluendam institutam quidem iure humano, sed postquam instituta est non deberi solo iure humano, nec defraudationes cõtrauenire solum legi positiuæ (vt clare exprimere non est veritus quidam Nauarrista ex doctrina eiusdem Nauarri) sed omnino & prorsus legi diuinæ & naturali contraire. Siquidẽ istiusmodi

Ludoui: de Beia casu 20. Apri. pag. 32.

quantitas

quantitas iam determinata,non minus ad Principem pertinet, quam quod ipsi legatum, aut dono datum; quo posito non minus violatur lex diuina de non furãdo,in clãcularia subtractione illius quantitatis,quã in cæteris ad Principem spectantibus. Pleræque sane aliæ leges & Principum constitutiones, sunt de re non vsque adeo magni momenti, vt qui eas transgreditur nullius iniustitiæ in Deum aut homines,solius duntaxat inobedientiæ & quidem sæpe venialis sit reus: Ast qui leges vectigales violat in casibus pręsertim notabilis fraudis (a Nauarro non exceptis) præter inobedientiæ delictum, etiam crimen furti, imo & peculatus in auersione publici boni, incurrit, cum eiusmodi leges acquirendi iuris & dominij modum inuehant, quod alijs, constitutionibus minime conuenit. Præterea naturaliter debetur merces mercenario, & militi stipendium aliquod vt Nauarrus con fitetur, etiam ante quantitatis designationem; vbi igitur merces pacta est, & stipendium certum assignatum, eodem & pari iure quidni debeatur? aut ostendatur iuris debendi mutatio. Pariter ergo & magis de Principe, posteaquam quantitas velut stipendij per certa tributa assignata est, quo iure ei debetur stipendium in genere, eodem ac pari iure deberi videtur hoc stipendium, imo forte iure fortiori,quia accessit ad ius generale, aliud ius particu-

 lare

lare pacti conuenti & cuiusdam veluti contractus, vt contra eiusmodi legem agere, sit contra pacta & cõuenta, quæ legis naturæ sunt, agere. Præcipit *P*aterfamilias famulo det huic pauperi Eleemosynam non dicens quantam, dat famulus quartam partem assis vice Domini, coniectans eius mentem, nonne hæc eleemosyna etiam tanta, est domini & non famuli? *P*ariter mandat *D*eus sustentationem *P*rincipis, *P*opulus cum *P*rincipe, & *P*rinceps cum populo, designant & taxant prout existimant necessarium esse & sufficere iuxta Dei voluntatem in tributis, nonne tũc illa quantitas magis ordinationis diuinæ quam humanæ? Lex etenim generalis, non debet manere in in Idea, sed transire ad particularia, ad praxim quæ est circa singularia. Sed quid indigemus argumentis pluribus cum habeamus ipsius Domini in euangelio verbum? Cum quærerent Iudæi Licetne censum dari
Matth. 21. Cæsari an non? non quærebant vti reor de censu seu tributo in vniuersali sed in particulari, de censu currente & in quantitate designata peti & solui, consueto: vnde mox proferunt pro numismate census seu tributi denarium, quem drachmæ atticæ pondere æqualem dicit Maldonat; Benedictus autem in suis biblijs, tribus solidis cum sex denarijs tornacensibus æstimat. Pariter & clarius Christus respondens reddite quæ sunt Cæsaris &c. non intendit respondere

de tributis

de tributis generalibus & in Idea consistentibus, sed de tributis certæ quantitatis, (vnde petit ostendi sibi numisma census quod videlicet tunc exigi solebat, & de quo antea Matth. 17. Magister vester non soluit didrachma aiunt, quibus respondet *P*etrus, etiam) quæ pronunciat esse Cæsaris id est deberi Cęsari, ac tanta & talia iubet solui Cęsari. Non verę ergo Nauarrus contra hunc locum euangelicum asserit aut sane pręsupponit, iure duntaxat positiuo tributa iam determinatę quantitatis facta, deberi Principib⁹; temere etiam & erronee scribit Nauarrista ille de quo paulo ante, legi solum positiuæ contrauenire regiorum tributorum defraudationes. Tātumdem dicendum est ad locum Apostoli, Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal vectigal, approbat nempe suo calculo Apostolus vectigalia certæ sūmæ quæ Cæsari pendebantur, ac mandat illa vt talia & tanta solui. Quid ergo mandat fideli populo, vt tributa ea quæ erant in vsu soluat infideli *P*rincipi, religionis hosti, & persecutori, & non erit prorsus voluntas eius, vt christianus populus fidelibus *P*rincipibus, non solum salutis terrenæ præsidibus, sed & verę religionis pro curatoribus, custodibus, & defensoribus, iura pacta conuenta, & vsu recepta, pensitet? Videat ergo Nauarrns qualiter existimet, consuetudinis quam prętendit

prætendit velamento, tam facile legibus tributarijs derogari, contra diſpoſitionem iuris C. conſuetudinis 11. diſt. &. l. 2. Quæ ſit longa conſuet. Conſuetudinis inquit vſuſque longæui non vilis eſt authoritas, non tamen adeo valitura momento, vt rationem vincat aut legem. Legem intelligunt interpretes diuinam, & rationem naturalem: contra quam tam rationem naturalem, quam legem diuinam, nulla quantumcunq; diutura, ac etiam licet per cunctum orbem frequentata conſuetudo, valere vmquam poteſt.

Dixerit quiſpiam pro Nauarro, conſuetudine iam introducta non violari legem diuiná de nó tollendo aut retinendo id quod eſt Cæſaris, quia quod abſque conſuetudine erat Cæſaris, id beneficio conſuetudinis introductæ deſinit eſſe Cæſaris, ideoque abſque peccato, tolli, ſubtrahi, & interuerti poteſt. Contra, omnis qui male agit odit lucem, vt non arguantur opera eius, qui autem facit veritatem venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo facta ſunt; iſti autem mercatores, acciſores tributorum, occultant merces (vt ponit Nauarrus in argumento ſuo) in quo proprium opus ſuum de peccato arguunt. Deinde ſatis ſuperque probauimus nec eſſe, nec poſſe eſſe talem conſuetudinem. Poſtremo ſiquæ forſitan eſſet, illa ad modum anceps, lubrica, & dubia

Ioh. 3.

judicio

iudicio ſaniorum doctorum foret: vt non poſſint conſcientiæ ſine peccato eius diſcrimini & aleæ ſeſe committere.

Aliter iuſtificat Nauarrus iſtos tributorum peculatores; durum videtur inquit damnare culpæ mortalis omnes qui contrarium faciunt, cum vbique fere gentium qui exportant merces ex quibus debetur Regi pars decima vel alia, conentur occultare aliqua ne de illis cogantur ſoluere quidquam. R. non minus durum, violatores legis diuinæ de non furando, ab omni peccato ſine reſtitutione ablatorum liberare. Durum hoc etiam cum Nauarro fateor & graue onus ſubditis, ſed duris, auaris, rapacibus, freno timoris Dei deſtitutis, qui quo iure qua iniuria volunt diuites fieri, ideo incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in deſideria inutilia quæ mergunt animas in perditionem. Quod exaggerat, Nauarr: parum conſulens honori mercatorum, vbique gentium ſic fieri nempe a mercatoribus, negare poſſum de hoc oppido Duacenſi cui non dubito multa alia oppida non prorſus diſſimilia.

Ibidē in ca. Confrat.

1. Timo. c. 6.

In hac ſiquidem Ciuitate cum ſit nobile & celebre Emporium frumenti, rariſſime intelleximus mercatores, ciues, vel exteros eodem conuenientes, in numero modiorum cælando Principis ſui ius

fraudare. De alijs ciuibus hoc testamur, plebem & cum hac multas graues personas, etiam de pintis vini & cereuisiæ sine vectigali ex cellis priuilegiatorum allatis, conscientiæ scrupulos sibi formare. Quin etiam scimus quosdam laxam illam Nauarri doctrinam secutos, tandem melius edoctos, vel etiam solo synderesis & conscientiæ remorsu compulsos, pænituisse & confessione a se factum expiasse, atque parti læsæ restituisse ad eam summam quam ipsi diligenti examine facto, debere se in synceritate cordis, existimabant: cuiusmodi quidem restitutionum, non auriti sed oculati testes sumus, vtpote quorum ministerio ad pœnitentium petitionem, factæ extiterunt. Deinde sicut peccata quanto sunt diuturniora tanto sunt detestabiliora, ita quãto longius latiusque per orbem terrarum diffunduntur, tanto damnabilius infœlices animas, vi & multitudine exemplorum malorum illaqueant & detinent; non ergo ex abusu fraudati regij tributi, quem vbique terrarum contingere dicit Nauarrus, fraudatores a peccato & restitutione liberare potest.

Addit Nauarrus Difficile valde fuerit ne dicam impossibile mercatores & alios ab hac consuetudine semouere. R. Non esset hoc vsqueadeo difficile si doctores tam viuæ vocis organo, quam scriptis & calamo, idem quod Alfon: Castrensis & serio docerent,

cerent, verbi *D*ei precones idem ex cathedris declamarent, confeſſarij pœnitentibus inculcarent. Intelligerent namque mercatores *D*eo illuminante, quam ſit etiam hic iugum *D*omini ſuaue & onus leue, ſpiritui præſertim cœleſtia amanti. Quandiu namque mortales terrenis immerſi, veluti cum inferno pactum a ſe factum ſeruant, erit eis hæc (vt ita dixerim) cantilena minime ſuauis: ſi vero capita leuantes de cœleſti regno mercando cogitare ceperint, haud ægre omnem iſtam iniuſti & damnabilis lucri cogitationem abijcient.

*P*ergit argumentari Nauarrus. Pœna conuentionalis inquit debetur. At non eſt dicendum quem peccare non ſoluendo illam niſi ſoluere iubeatur, ergo neque non ſoluendo tributum. Reſpondeo non recte inſtitui comparationem legis tributariæ cum pœna conuentionali. Sic ergo debet comparatio fieri, legis nempe cum ipſa conuentione ſiue pacto, & pœnæ legis conuentionalis, cum pœnis quæ imponuntur vectigalium fraudatoribus. Vt igitur pactum ligat ad ſui obſeruantiam illum cum quo initum eſt: ſic lex Principis præcipiens ſolui tributum inſtar quaſi pacti Principis nobiſcum, ligat in conſcientia & ſeruanda eſt ſub pœna peccati & reſtitutionis faciendæ: ad pœnam autem acceſſoriam quod attinet, ſicut pœnam incurſam ob non ſerua-

tam conuentionem non tenemur soluere nisi parte exigente: sic mulctas fraudatoribus tributorum impositas etiam incursas, non tenentur illi inferre, nisi ministris iustitiæ cogentibus, interim ipsum tributum etiam forte non petitum (salua regnorum consuetudine) soluendum est & notabiliter fraudatum restituendum.

Argumentatur postremo Nauarrus. Nullibi gentium confessarij cõfitentes huiusmodi fraudes, cogũt restituere: ad quod idem argumẽtum ex Enchiridio in superioribus respondimus, dicentes falsum omnino esse quod assumitur, quia omnes non immodice laxi confessarij, in notabilibus defraudationibus, peccati mortalis pænitentibus conscientiam formant, ijsdemque restitutionem iniungunt.

His argumentis, Nauarri confutatis, pro maiori sententiæ nostræ confirmatione, proferre profuerit ex ipsomet quæ ipse ibidem format argumenta, pro nobis contra semetipsum, nec vspiam quod sciam dissoluit. Tributum inquit tam debetur Regi, quam quod ipsemet mutuo vel commodato dedisset, vel quod ex venditione sibi debetur, vt probat ait c. Tributum & alia proxime citata. At nemo vnquam dixit non peccare, qui renuit soluere Regi mutuum, commodatum, præcium rei ab eo emptæ; Ergo nemo debet dicere non peccare illum qui regi tri-

Ibidem in capit. Confraternitas

buta

buta soluere renuit. Addo nemo dicet non peccare qui fraudat Regem censu, quem debet de prædio cōducto vel in Emphyteosim accepto; ergo nec debet dicere fraudantem tributa regia non peccare. Tertio qui fraudat proximū censu ei debito ob caussam priuatam peccat, cum onere restitutionis: ergo a fortiori qui debet Regi ob causam publicam, cum bonum publicum præferatur priuato.

Hæc inquam in fauorem nostræ sententiæ verbotenus ille; quæ cum nusquam diluat (quamuis ibidem in fragmento commentarij imperfecti in d. ca. confrater. ad respondendum se accingere videatur) nostra prorsus & nostrarum partium esse putemus. Quod enim ille velle dicere videtur, non tam naturaliter deberi tributa, quam illa superiora, ex empto, conducto, mntuo, commodato debita, tum falsúm est, tum ad rem parum pertinet. Quia ad rationem furti restitutioni faciendæ obnoxij, satis est tolli vel retineri vere alienum quocumque titulo vero legibus introducto, tale factum. Debitum autem tributi (vti diximus) in genere inuoluit titulum tacitæ conductionis Principis ad Reip. regimen sub stipendio tributi, Item titulum datæ fidei & promissionis subsidij, ad onus eiusdem Rei. necessarijs. Præterea in specie complectitur pactum conuentum tantæ quantitatis, quatenus petenti Principi populus

annuit hanc illamue summam, qui omnes tituli sunt legales & legitimi, nedum ciuili sed iure gentium introducti, sine piaculo non violabiles, & ad transferenda rerum dominia sufficientes; vnde etiam Christus Domin⁹ ore suo ea esse Cæsaris pronunciauit etiam iam determinatæ quantitatis effecta, sicuti alias facto didrachma soluens, approbauit Matth. 17. *D*idrachma inquit in eum locū Maldonat idem valet atque duo Hispanica regalia, duo iullii italici, decem solidi gallici. Hi ergo tituli non minus sunt fortes, non minus naturales, non minus legales quam superiores, si non ijdem prorsus; vnde non minus his tributis fraudandis peccatur & quidem mortifere, & cum onere restitutionis, quam in superioribus & alijs Principum & Reipublicæ nedum priuatorum bonis aut iuribus.

Conclusio trium primariarum quæstionū tangens Illiadem incommodorum quæ ex doctrina Nauarrea consequi possent.

Tandem vt vela contraham, hæc sunt quæ in Nauarro metuebam ne essent Reipublicæ noxia; quod leges humanas tam ecclesiasticas quam ciuiles omni vinculo ad mortale obligandi, quatenus tales spoliet, quod subinde vix ad veniale ligare ex dictis eius sequatur: Ex quo deinceps colligitur ad pœnas duntaxat legales ligare, quæ opinio est modernorum hæreticorum: quod tanto molimine & apparatu verborum contra ipsius morem & ingenium, & multiplici inculcatione id præstet, hoc infelicissimo æuo ad

omnem

omnem contemptum magiſtratuum & poteſtatum omnium ſumme procliui, & quidem in enchiridio confeſſariorum, quod manibus tam pœnitentium quam confeſſariorum aſſidue teri decebat, vnde doctrinam ibi traditam prorſus tutam & incontrouerſam ac præſertim in fide ac religione ſanam eſſe oportebat: in caſu præſertim mimine anguſto, ſed latiſſime patenti, quique ad cœteros quoſcunque pene caſus extenditur. Rarus ſiquidem eſt conſcientiæ caſus, cuius diſcuſſio non incurrat in aliquam legem etiam humanam. Accedit fulgor Nauarri nominis, qui etſi alibi prodeſt, hic ideo nocet plurimum, quod opinio de rara & eximia eruditione adeo celebris per orbem Chriſtianum Doctoris, eius doctrinam quamuis non vſquequaque tutam prorſus oracularem eſſe perſuaſerit, aut perſuaſura ſit. Quod eandem doctrinam multo maiori molimine, quam in enchiridio trrctatu particulari in cap: Confraternitas 12. quæſt. 2. proſequatur. Quod eadem doctrina remouens peccatum mortale metum numinis & futuri diuini iudicij quodammodo ableget, quem omnes etiam infideles legiſlatores ad legum cuſtodiam, ſemper maxime exquiſierunt. Quod admodum formidem ne ea ipſa quamuis præter authoris optimi viri mentem, principes, magiſtratus, maiores omnes parui faciendi, aut etiam contem-

nendi,

nendi, iisdemque rebellandi ansam porrigat. Quod denique etsi non desint alii moderni & antiqui legis pœnalis patroni: non tamē illi ita mordicus eam propugnant pro ea veluti pro aris & focis dimicantes. Quibus omnibus mature ponderatis & ad æquilibrium iustæ rationis expensis, lectores candidissimi, me apud vos ab omni suspicione vanitatis immunē fore cōfido, sicubi calore disputādi zeloq; causæ in fauorē vtriusque potestatis ecclesiasticę & ciuilis susceptę, modestiæ Christianæ & pastoralis metas quoquo pacto prætergressus esse visus fuero, præsertim quod vt initio præfatus sum pro scopo laboris mei habuerim, non tam aliquid de re tanta definire, quam docta & præclara nostri sæculi ingenia excitare, vt semotis leuiorum rerum commentationibus, in hanc adeo animarum Rerumque publicarum saluti & incolumitati necessariam, toto pectore incumbant, suspirans interim cum Caietano, cum Ioanne benedicti, cum Henrico Gandensi; cum Nauarro denique ipso suspectam suam doctrinam habente, ad supremum & vltimum totius orbis terrarum tribunal pōtificium pro plena rata & omnis dubij experte decisione, quam dum expecto omnia a me superius disputata, sicuti& alia mea quæcunque, probanda vel improbanda ecclesiæ sanctæ, Catholicæ Rom. iudicio, qua possum animi demissione, subijcio.

Excusatio paulo maioris acrimoniæ qua vsus est author in Nauarrum & sequaces eius.

FINIS.

Errata præcipua.

In epistola dedica. pagina 1. versa. linea. 11. lege occurristi pa. 2. li. 8. Dionysi. sic alias corrige. Eadem pa. versa li. 5. libiæ pa. 3. linea. 8. sublimi. pag. 4. versa linea. 2. lege temporum. Lin. 4. a fine lege Isenghemij Raghengemij pag. 5. lin. 9. certamus. lin. 10 Maximiliani. lin. 16. leg. ad internecionē. Eadem pa. versa, lin. 12 pusillitatis. li. 13. eruditus pro eruditis. lin. penul. filo pro filio pa. 6. versa; li. 21. tractant. pag. 7. li. 3. precor li. 13. incolumem.

In præfatione pa. 4. a fine lege cæcutire. pa. 2. li. 22. illam, lin. 24. Toletus. Eadem pa. versa. lin. 22. ecclesiasticas.

In ipso Tractatu, pag. 4. lege pigmæorum, pa. 6. le. fortuito. pa. 10. commissam. Eadem pa. le. quæreres. Eadem leg. pure. pa. 11. impræsenti pa. 15. ætymolo. pa. 40. Dyscolis, pa. 50. si Exsibilia. pa 57. stillici. pag. 66. diserti, pa. 72. Chrysostomi. sic alias corrige. Nota a pagina notata numero 69. vsque ad aliam notatā numero 73. notas numerorum esse perturbatas. pa. 77. executione. pa. 78. exhortatione. pa. 93. lin. 1. speciale. lin. 23. accersimus. pa. 101. antagonistam. pa. 105. li. 8. restitutionis. li. 23. illud pag. 107. lege sub finē bis fine, Item tolerare per l simplex. pa. 108. lin. 1. docent. pa. 109. lin. 8. humano. pa. 126. li. 17. apostolus. Pa. 131. & prius pa. 125. toler. per l simplex. pa. 134. lin. vlt. Cæsaris. pa. 136. li. 19. diuturna. Nota iterum incuria Typographi a pag. 122. vsque pag. notatam numero 123. notas numerorum esse perperam distributas.